DE INAESTIMABILI PRETIO DIUINAE GRATIAE CHRISTI NOBIS...

Juan Eusebio Nieremberg, Louis Janin, Masseo

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
S
26 — B
35

Col. 7. Tav. 4. Num. 11.

~~Col.a I. Tav. 6. N. 4.~~

Digitized by Google

[illegible] Altissima P. 101. Vide Bellar. factus sũ tãquã vas perditũ.

Pro Museo

Pertinet ad Con. S. Bon. de Urbe

Digitized by Google

Digitized by Google

DE INÆSTIMABILI PRETIO DIVINÆ GRATIÆ

Chriſti nobis ſanguine comparatæ, cogitationes piæ, ac ſolidæ.

Ex Euſebij Nierembergij Societatis Ieſu tractatu Hiſpanico Latinè decerptæ à L. Ianino ex eadem Societate.

LIBRI QVINQVE.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

LVGDVNI,
Sumptib. Hæred. Petri Proſt, Philippi Borde, & Laurentij Arnaud.

M. DC. LVI.

Cum Priuilegio.

Digitized by Google

Digitized by Google

ADMODVM REVERENDO
IN CHRISTO P. N.

P. VINCENTIO CARRAFÆ

SOCIETATIS IESV
Præpoſito Generali.

SVB anni vertentis initia quem Societati fortunatum, Paternitatis veſtræ Admodum Reuerendæ ſecit electio; quid ipſi poſſum offerre gratius, quàm quod norunt omnes re quauis ipſam ardentiùs colere, promouere impenſioribus ſtudiis, pretioſiùs adamare? mundo, inquã, toto ſi gratia careat, etiam beato, atque immortali præſtan-

tiorem gratiam, Chriſti nobis vita, mortéque comparatam, in hanc omnes conatus, omnia veræ Chriſtianitatis conſilia certaminaque vel habendam, vel retinendam, & exaggerandam collimarunt; huic cum toto Chriſti Ieſu, totus Martyrum ſanguis fluxit; huic pugnæ piorum omnium ſudarunt; huic noſtra Societas & primùm conſcripta eſt, & pergit, vt hactenus, militare. Huius pretium tanti, quanti cœlum ac Deus, hic Paternitati veſtræ admodùm Reuerendæ libellus edit, ſed breui laterculo, & velut arithmeticis aptum notis, intelligenti ſcilicet, & longè ac diu meditata, mentéque ac manibus peracta recognituræ ſtatim ad primos intuitus &

Digitized by Google

lætaturæ filiorum laboribus, ac nobilibus ærumnis in hanc vbique terrarum ac gentium Margaritam, ſibi, & aliis quærendam incumbentium, & Paternitatis veſtræ admodum Reuerendæ exemplo hortatúque immorientium. Hoc ſi munuſculum non diſplicuerit putabo me Deo (iucunda ſanè grandique mercede) quem in Paternitatis veſtræ admodùm Reuerendæ vtráque perſona publica, & priuata, vnicè amo, & veneror placuiſſe.

Paternitati V. A. R.

Addictiſſimus, & deuotiſſimus in Chriſto ſeruus & filius
L. IANINVS è Soc. Ieſu.

Digitized by Google

PIO, ET, THEOLOGO

LECTORI.

CVM ob fœcunditatem magni, & fœlicis, religioſique ingenij cuncta Nierembergij noſtri opera ſuſpexiſſem, &, quod eſt de S. Cypriano ſcriptum, viſa mihi eſſent ſole clariora, tùm nullum clarius, fortius, magnificentius hoc, de pretio diuinæ gratiæ, tractatu, cuius vtilitati ſummæ, ne aut prolixitas, aut idiomatis patrij obeſſent anguſtiæ, hunc & latinâ, hoc eſt orbis linguâ, donandum putaui, & totis in arctum contractis viribus penè ſimul totum legentium animis ad-

Digitized by Google

mouendum, quò conferta denſim ex eo tela vulnus ſine ictu, & deſtinata peccatorum nece non facerent, quod ſæpè vſu-venit dum legenti oratio fuſior ſpatium tribuit inflictæ iam plagæ non tantùm dolorem mitigandi, ſed excutiendi quoque memoriam: cur vero te, Lector beneuole, pium, theologum compellauerim & optarim, cauſam legendo hanc eſſe deprehendes quòd placere hic ſermo triuialibus oculis vt minimè poteſt, ita nec prodeſſe: tibi ſiue es Verbi Dei præco, ſeu ſacris confeſſionibus addictus, ſiue promiſcuo, & familiari iuuandarum animarum ſtudio occupatus, ſpero fore vt proſit, & placeat.

VINCENTIVS CARRAFA Societatis Ieſu Præpoſitus Generalis.

CVm opuſculum cui titulus *de inæſtimabili pretio Diuinæ Gratiæ*, P. Ludouici Iannini noſtræ Societatis Sacerdotis, tres eiuſdem Societatis Theologi recognouerint, & in lucẽ edi poſſe probauerint, facultatem concedimus, vt typis mandetur ſi ita iis ad quos pertinet videbitur. In cuius rei fidem has litteras manu noſtra ſubſcriptas, ſigillo noſtro munitas dedimus. Romæ die 2. Martij 1646.

VINCENTIVS CARRAFA.

Facultas R. P. Prouincialis.

CLaudius Maucler Prouincialis Societatis Ieſu in Prouinciâ Lugdunenſi iuxta priuilegium eidem Societati à Regibus Chriſtianiſſimis Henrico III. 10. Maij 1583. Henrico Magno dicto IV. huius nominis 20. Decemb. 1606. Ludouico XIII. 14. Februarij 1611. conceſſum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur ne libros ab eiuſdem Societatis hominibus compoſitos abſque Superiorum permiſſione imprimant, permittit Hæredibus PROST, PHILIPPO BORDE, & LAVRENTIO ARNAVD, Bibliopolis Lugdunenſibus

vt

Digitized by Google

vt opuſculum *De inæſtimabili pretio Diuinæ Gratiæ*, *ex Hiſpanico idiomate latinitate donatum à R. P. Ludouico Ianino*, ad decem proximos annos imprimere ac liberè diuendere poſſint. Datum Lugduni die 20. Nouembris 1646.

CLAVDIVS MAVCLER.

APPROBATIO DOCTORVM.

NOs infraſcripti Almæ facultatis Pariſiēſis Doctores Theologi hunc tractatum *De inæſtimabili pretio Diuinæ Gratiæ*, per R. P. Euſebium Nierembergium Societatis Ieſu compoſitum & ex Hiſpanico idiomate à R. P. Ludouico Ianino eiuſdem Societatis, latinitate donatum, legiſſe aſſerimus, cùm nihil in eo reperiatur à fide alienum. Datum Lugduni anno 1647. Ianuarij 10.

FR. STEPHANVS MOLIN Carmelita.

FR. MICHAEL MICARD. Minor.

Digitized by Google

CONSENSVS.

HVnc libellum, qui inſcribitur *De inaſtimabili pretio Diuinæ gratiæ*, typis mandari & in lucem edi hac in vrbe, Sumptibus Hæredum PROST, PHILIPPI BORDE, & LAVRENTII ARNAVD, Bibliopolarum Lugdunenſium, Ego Regis in Præfectura Lugdunenſi Procurator non impedio, die 12. Ianuarij 1647.

LORIN.

PERMISSIO.

VIſo Procuratoris Regis conſenſu hunc librum typis mandari ſupradictis Lugdunenſibus Bibliopolis concedimus, & ne quis vltra dictam facultatem denuò excudat prohibemus, Lugduni die 12. Ianuarij 1647.

SEVE.

INDEX

Digitized by Google

INDEX CAPITVM

De Inæſtimabili pretio Diuinæ Gratiæ Chriſti nobis ſanguine comparatæ.

LIBER PRIMVS.

CAP. I. *Quid ſit ea gratia, & quantas opes contineat.* pag. 1
II. *Quàm deplorandus ſit gratiæ diuinæ apud homines deſpectus.* 4
III. *Quanti in eo æſtimanda ſit gratia quòd toti naturæ antecellat.* 8
IV. *Præſtare miraculis gratiam.* 12
V. *Infuſæ gratiæ opus diuinorum operum maximum.* 17
VI. *Poſſeſſorem ſui diuina gratia ſupra naturæ ordinem euehit.* 19
VII. *Gratiam eſſe increatæ Dei naturæ participationem.* 27
VIII. *Quàm ſublimi gradu diuinam naturam participet gratia.* 32

IX Cum naturæ diuinæ conſortio, perfectionem abſolutiſſimam nobis per gratiam conferri. 36
X. Hominem gratiâ in gradu puriſſimo, liberrimóque conſtitui cui diuinæ aſpectus gloriæ debetur. 40
XI. Fieri homines diuinâ gratiâ ſanctitatis Dei bonitatíſque participes. 46
XII. Gratiam, iis quos inſederit, pro naturâ eſſe. 50
XIII Gratiam eſſe ſuo quodam modo infinitam. 55
XIV An præſtet diuinæ participatio naturæ per gratiam eiuſdem participatione per Incarnationem, & Euchariſtiam. 59
XV. Dignitatem quam confert hominibus gratia eſſe cunctis aliis, adeóque maternitate Dei excellentiorem. 65
XVI. Quanti Deus gratiam æſtimet. 71

LIBER SECVNDVS.

CAP. I. GRatiæ compotem non tantùm eſſe diuinæ compotem naturæ, ſed

ſed ſancti Spiritus perſonam reipsâ poſſidere. 77
II. Sanctiſſimam Triadem fieri nobis per gratiam præſentem. 82
III. Gratiam eſſe animæ vitam. 87
IV. Adoptari nos à Deo in filios, & regni hæredes per gratiam. 95
V. Adoptione filios per gratiam, præſtare filiis per naturam. 100
VI. De Alimento mirabili adoptatorum per gratiam. 106
VII. Veram Deum inter & homines amicitiam gratiâ copulari. 111
VIII. De inexplicabili amore Dei erga homines gratiâ præditos. 118
IX. De pulchritudine quam confert animæ gratia. 125
X. De coniūctione animæ cū Deo, ſanctíſque omnibus, quā parit gratia. 133
XI. Animam Dei ſponſam excellentiſſimo, & iucundiſſimo fœdere, gratia efficit. 140
XII. De pluſquam regiâ poteſtate, quam in res creatas, omnémque naturam ſuis gratia tribuit. 147

ẽ 3 LIBER

LIBER TERTIVS.

CAP. I. *EXimiæ charitatis habitum ſupernaturalem à gratiâ in animam induci.* pag. 154

II. *Virtutum omniũ habitus ſupernaturales à gratiâ in animã induci.* 159

III. *Spiritus ſancti donis animam gratia locupletat.* 164

IV. *Quam admirandâ vi mortiferum crimen gratia deſtruat.* 168

V. *Lucẽ eſſe gratiæ diuinæ vmbrã.* 172

VI. *Quanti faciant gratiam Beatiſſimi Angeli.* 177

VII. *Gaudere gratiam numeroſo Beatarum mentium comitatu.* 181

VIII. *De incredibili pretio quod facit bonis operibus gratia ad promerendam æternam gloriam.* 186

IX. *Quàm ſollicitè ſeruanda ſit gratia ob emolumentum gloriæ operibus debitum ex gratia profectis.* 191

X. *Ingens gratiæ bonum, quod operibus cum ea factis debita peccatis ſupplicia condonentur.* 195

XI. *De communione omnium bonorum, quam gratia præditi cum Sanctis*

eximiam

eximiam obtinent. 198
XII. *Pluris eſſe gratiam quæ hominibus datur, quàm quæ olim Angelis.* 202

LIBER QVARTVS.

Cap. I. *Homines Dei auxiliis, & S. Spiritus afflatu dignos, beneficio gratiæ effici.* pag. 207
II. *Non poſſe hominem gratia deſtitutum, ſine lethali noxa diu agere.* 212
III. *Quantum inter hominem interſit etiam eumdem gratia præditum, & ea priuatum.* 217
IV. *De fortitudine admiranda, qua naturæ noſtræ infirmitatem gratia Chriſti corroborat.* 222
V. *Quid diſtent Dei & hominum gratia.* 227
VI. *Gratiam non eſſe tantùm æternorum, ſed temporalium quoque bonorum fœcundam.* 232
VII. *Huius vitæ felicitatem abſque gratia nullam eſſe.* 236
VIII. *Nihil eſſe miſerius, quàm gratia carere.* 240
IX. *Quanti apud Sanctos fuerit gratia, & quanta fecerint eius cauſa.* 245

LIBER

Digitized by Google

LIBER QVINTVS.

Cap. I. De fidei virtute prima ad gratiam animi comparatione. pag. 251
II. De timore Dei, altera ad gratiam Dei comparatione. 255
III. De ſpe gratiæ diuinæ, tertia ad illam animi præparatione. 269
IV. De contritione, poſtrema ad gratiam animi præparatione. 264
V. Quibus exerceri virtutum ſtudiis oportet diuinam gratiam aſſecutum, præſertim verò de charitate in Deum. 269
VI. De pane fidei, quo iuſtus & gratia aluntur. 274
VII. Quanta cura vitari peccata venialia debeant, vt diuina gratia conſeruetur. 279
VIII. Quibus indiciis deprehendere poſſimus nos eſſe diuinæ gratiæ poſſeſſores, & mortem cum illa obituros. 283

DE

DE INÆSTIMABILI PRETIO DIVINÆ GRATIÆ

Chriſti nobis ſanguine comparatæ, cogitationes piæ, ac ſolidæ.

Ex Euſebij Nierembergij Societatis Ieſu tractatu Hiſpanico Latinè decerptæ à L. Ianino ex eadem Societate.

LIBER PRIMVS.

CAPVT I.

Quid ſit ea gratia, & quantas opes contineat.

DICI breuiter poteſt eſſe omne bonum, cùm apud Deum gratioſus Deum poſſideat certiùs, quàm Reges ipſos qui Regũ gratia fulcitur, quæ diuinæ rudimentum quoddam & vmbra eſt, quanquam ita informis & languida vix vt ſpeciem illius exilem referat. Eſt enim hæc

Digitized by Google

de qua ſcribimus, gratia, pulchritudinis diuinæ particula quædam, animæ cælitùs infuſa, eámque tam amabili luce ac ſtabili ſic totam peruadens, vt Dei ipſius oculos rapiat, à Deo ametur, deſpondeatur, adoptetur, & ſupra omnes naturæ limites euecta, nec iam ampliùs humi repens & gentilitij luti vernacula, fiat diuinæ conſors, & particeps tum naturæ, tum hæreditatis, tum Regni æternùm beati. Sed hæc totidem miracula quot verba, dum lingua loquitur, deſtituitur ab ingenio, nec mirum; cùm nec beatæ mentes, Deoque proximæ ſint iis æſtimandis, aut intelligendis pares. Itaque defixo in propitiantis Dei ſolium obtutu, illius miſericordiam attonitæ colunt; niſi ad noſtram quoque miſerorum ſtolidam infelicitatem, fortè pariter obſtupeſcunt, quos, ſi quando ex illo dignitatis gradu tam ſublimi & ſancto agit væcordia in præceps, caſus tanti dolor vix leuiculus perſtringit, tantùm abeſt vt cohorreſcamus, eſſe nos è ſtatu & ordine vltra Seraphinorum conditionem ingenuam conſtituto, infra belluas, monſtra & dæmones, immani ruina deuolutos, reos odij omnium, ſuppliciique ſempiterni.

Adeò nihili facimus *maxima & pretioſa promiſſa quæ nobis Deus per Chriſtum donauit,*
2. Pet. 1. *vt per hæc fiamus diuinæ conſortes naturæ. Promiſſa* quidem, verùm ſimul & dona; cùm ſit ingens munus, tam antiqua liberaliſque promiſſio, & datæ gratiæ certò gloria promittatur. Deinde *maxima*, quòd naturam omnem eſto immortalem, longè multumque antecellant.

Pretioſa verò, vt quibus pretium nec amplitudo detrahat, neque multitudo, contrà quàm fieri conſueuit; ſed ipſa ſui ratio aſſerat, & quo empta ſunt, Dei ſanguis. Poſtremò *diuinæ per hæc nos fieri conſortes naturæ*; nec poteſt dicendo efferri, nec cogitatione comprehendi; & dicamur ſanè in genus inſeri diuinum, venire in partem diuinitatis vndique infinitæ; vnumque cum ea conflare, ac fieri quodammodo Deos, hæc & ſimilia dum ſatis magnificè balbutimus, hæremus animo, neque aſſequimur, aut intelligimus: Nam ſi excellentiam hominis maiorem philoſophi nullam capere potuerunt quàm vt eſſet ad diuina contemplanda natus, quid erit tandem in Deum euadere? ac ſi Dei ipſius præconio laudantur omnia mox ab ipſo in lucem edita, quanquam ſolis naturæ finibus circumſcripta, quantùm quæſo iis bonis debetur admirationis, quibus nunquam non ſtipata gratia incedit ſupra totius naturæ verticem locatis? quantùm gratiæ ipſi tot ex ſe opum prodigia velut totidem radios vibranti? & hæc tamen proh dolor! vulgò ita vileſcit, vt paſſim miſerè, palámque ſacrilegè proculcetur.

CAPVT II.

Quàm deplorandus ſit gratiæ diuinæ apud homines deſpectus.

1. Ierem. OBſtupeſcite cæli ſuper hoc, & portæ eius deſolamini vehementer; Nam etſi pluris eſt huiuſce gratiæ particula minima, quàm quicquid eſt in terris bonorum; ſed horum minimis per ſummam ſtultitiam, horum fœdiſſimis per ſacrilegium immane, indignè poſtponitur; nec difficiliùs, quàm ludendo, iocando, ſpontéque delirando. Docet Theologiæ Angelus, mundi, quàm longè latéque tenditur, præſtantiam omnem, eſſe hominis vel vnius apud Deum gratiâ viliorem; imò & totum cum Angelis cœlum negat B. Auguſtinus cum hac poſſe conferri, ſic vt Deo plus quiuis debeat, ob acceptæ gratiæ atomum, quàm ſi foret ab eo mentium ſupremarum excellentiam conſecutus; cœlique ac ſyderum dominus, cum imperio & poteſtate factus. Docet hoc idem haud dubia ratio, nec ſinit fides orthodoxa id ab rudibus ignorari, voluptates non ignorantibus gratiæ debitas, nobilitatemque à Deo proximè traductam, Deóque inſitam; & eſſe nihilominus qui putris oculi coniectu hanc bonorum ſummam quâ Deus ipſe continetur, dæmoni mancipent? & quantum quantum eſt hoc patrimonium orbe toto maius, eſcâ turpiſſimâ, ſpurciſſimâ, fugaciſſimâ decoquant?

1. 2. q. 113. a. 9. ad 2.

l. ad Boniſ. c. 6.

Obſtu

Obſtupeſcite iterum cœli ſuper hoc! Quem enim rabies tam deteſtabilis inceſſat, vt ſi breuis ſuæ in pœnam gulæ, ſublatum iri de mundo ſolem, diſpuluerandas ſtellas, ac ſuſdéque vertendam conſenſionem primorum corporum certus ſit, huic tamen gulæ, hâc mundi totius confuſione, litatum velit? Quid tamen iſtuc eſt, ſi cum interitu diuinæ gratiæ confertur? Quem heu! tam crebrum, & procliuem, vt, non dico in dies, ſed momenta ſingula contingat; quotus quiſque eſt qui ab ſe, aut aliis, ſat mediocriter, defendat, doleat ſaltem, & lugeat? Horremus ad Solis deliquium paucas horas tenens; ad vrbem terræ motu hauſtam; ad ſtragem armentorum, & hominum; Quid ſi terræ, ac cœli partem, labes vaſtiſſima vorarit, fontes aruerint, arbores reuellantur, vrbes decem aut plures hiatus ſorbeat, quantò hinc metu percelli neceſſe ſit? & his peiora, triſtiora, luctuoſiora infelices, ſæpe quot diebus, ſiccis oculis, immoti cernimus; multis quotidie ſæuo caſu coram excidentibus diuinâ gratiâ, vel incrementi facilis, & gratuiti promptas ad eam acceſſiones ſpernentibus. Ac Elias quidem euerſionem montis non ſuſtinuit videre; Ieremiam vrbis ſanctæ funus inconſolabili dolore pariter afflixit; icta Iobi fortuna ſtuporem amicis ſeptiduò induxit; Nos heu! ſi noſtros dolores magnitudine metimur, conficiamur ſanè æterno mœrore, nunquam eius partem ſatis æquabimus qui peccando naturam diuinam; qui reginam virtutum charitatem, cum toto illa-

3. Reg. 19.

rum cœleſti comitatu; qui dona ſpiritus increati, cum eodem beatiſſimo hoſpite; qui adoptionem Dei; amicorum iura; autoramentum regni; meritorum & Sacramentorum pretia, fructúmque perdimus peccando inquam, totum cum Deo cœlum, diuinas cum gratia
Thr. 2. opes profligamus, perdimúſque innumerabiles. *Quomodo obtexit caligine in furore ſuo Dominus filiam Sion? proiecit de cælo in terram inclitam Iſraël, & non eſt recordatus ſcabelli pedum ſuorum in die furoris ſui? præcipitauit Dominus (nec pepercit) omnia ſpecioſa Iacob.* Et erant hæc caduca per ſeſe, atque euanida: Sacerdotem Heli Sacratæ Arcæ; Nicolaum V. Conſtantinopolis; Hieroſolymæ Vrbanum; Benedictum I. Italiæ ab hoſtibus captæ laceratæque nuntius, tanquam fulminis telum momento obruit, ac vitâ priuauit; nobis calamitas, tanti boni tantulo amiſſi orbis exitio grauior, vix lacrymam excutit, nedum ſontem vitam, reamque tot titulis eripit. At ſi manum vltricem *eleuauit ſuper eos vt proſterneret eos in deſerto, qui pro nihilo habuerunt terram deſiderabilem*; quanti nobis ignaua hęc ſtabit cæli vnicè optandi quærendique deſpicientia; quanti hæc aſpernatio gratiæ, cuius neglecta vmbra tanti fuit?

(Margin: 1. Reg. — Volater. — Pſ. 105.)

Huius verò contemptus cum ſit cauſa, ſublimis ſenſuum de rebus fluxis opinio, de cæleſtibus ac veris humanæ mentis iudicium vile ac frigidum, vtrarumque altâ meditatione corrigendus eſt vterque error, detrahendumque æſtimationi caducorum quòd æternorum pretio addamus,

addamus; ſubeunda diuinæ gratiæ multiplex, & opulenta vena vt perſpectis illius theſauris pigeat oculos in terrena deinceps vertere, admirator enim, laudatorque acceptæ gratiæ, ait B. Chryſoſtomus, futurus eſt eius ſtudioſior Homil. custos atque attentior. Age itaque Deo duce, 1. in ep. aggrediamur *laudem gloriæ gratiæ ipſius*. Tu ad Eph. verò Deus Optime, Maxime, miſericordiarum pater ac luminum, inſpira menti, ac ſermoni lucem, vt hoc tuum ſcribendo, non deteram munus, quo ſublatos è primogenio puluere mortales in tuam familiam tranſſcribis. Tu IESV Seruator, per illum ſanguinem, quo tibi toto miſeri ſtetimus, da vt illo emptis, & gratiæ redditis, gratiæ pretium vtcumque explicem, quam bene putaſti tanto emi. Tu ſumme ſanctéque Spiritus, exaggeratam donis tuis hanc tribuere ſolitus, doce quid illa & quanti ſit, quam niſi tecum nunquam donas. Fac Beatiſſima Dei & gratiæ Mater, vt huiuſce opes hominibus detegam quas dignitati maternæ prætuliſti. Vos ignitæ mentes, incorporea ex luce, flammiſque concretæ; vos ſolutæ corporibus animæ, quæ fructu gratiæ gaudetis, & eſtis apprimè illius conſciæ, veſtro mihi præſidio adeſte, vt mihi, meiſque ſimilibus, fallaci ab oculis deterſa nube, purum gratiæ ſolem exhibeam, cuius pulchritudo viuaces in nobis ſempiternaſque ſuſcitet concupiſcentias.

CAPVT

CAPVT III.

Quanti in eo æſtimanda ſit gratia quòd toti naturæ antecellat.

1\. AC principium quidem vt ex iis ducamus, quæ ſunt gratiæ poſtrema; probant Theologiæ principes, longè inferiorem eſſe naturam gratiæ. *Cælum & terra tranſibunt,* inquit Auguſtinus; *prædeſtinatorum autem ſalus, & iuſtificatio permanebit; in illis tantùm opera Dei, in his autem eſt imago Dei.* Ex quo conficit S. Thomas plus eſſe, reum gratiæ reſtituere, quàm cælum & terram condere; cùm huius operis præſtantia omnis definiatur natura mutabili, eius verò auguſtâ cognationis diuinæ maieſtate; quo ſenſu exclamemus licet, *Miſerationes eius ſuper omnia opera eius.* Cedat his ſtellarum fabrica, cælorum immenſitas, conſenſus ſimplicium, ac diſſimilium corporum, rerum multitudo, nullo fine ac numero varia, homines ipſi & Angeli, quibus vt inſit valde conſpicuus ſupremæ potentiæ character, at eidem Doctori non vanè Eccleſia ſuccinit: *Deus qui omnipotentiam tuam parcendo maximè, & miſerando manifeſtas;* ſed cæcutimus ad eam lucem; Moſes verò probus alioqui Dei operum æſtimator, tranſcurrentem illam contuitus, *Dominator Domine Deus,* ait, *miſericors, & clemens, patiens & multæ miſera*

tr. 71 in Ioa.

1\. 2. q. 113. a. 9. in corp.

Pſ. 144.

L. 2. in arg. ſed contra.

Exo. 34.

Digitized by Google

miſerationis! nec valet extra ſe poſitus vocem aliam rumpere prӕterquam admiration s ad hanc miſericordiam, ſuſpenſӕ. Tradit viri eximie doctus, & inſigniter pius, inferiora hӕc immenſo ſpatio homini cedere; & quidem vni, quamuis ponatur infinita; Negat B. Chryſoſtomus vllam eſſe in orbe cum hominis natura comparationem; ſed addit S. Auguſtinus, prӕſtare iuſtum, quam hominem vel Angelum eſſe; Sanctus verò Thomas charitatem ſeu gratiam animӕ prӕponit; haud quidem ex ſolâ nobiliſſimӕ qualitatis excellentiâ ſpectatam, quâ naturӕ omnis ſubſtantiâ qualibet cenſetur melior, ſed ex ipſa quoque pretij dignitate; Sit enim formica auro perfectior, pretioſior haudquaquam: Gratia prӕter natiuum decus, ſupra ſphӕram naturӕ ſitum, ӕſtimationis item iure, ac pretio naturӕ ſic eminet, vt de illa meritò dicatur. *Melior eſt cunctis opibus pretioſiſſimis, & omne deſiderabile ei non poteſt compararari.* Attollamus ergo parumper oculos ad has opes, ſtatuamuſque an negligendӕ ſint & otioſiùs occupandӕ. O abſurditatem! nemo ſe ſatis auarus capiat, ſi cum Irus decubuerit, expergiſcatur Crœſus, & latifundiis, margaritis, palatiis ditatus. O noſtram denuò fatuam, capitalémque ſtultitiam! quos vtramuis in partem rationes gratiӕ nihil mouent, non iis modo bonis, ſed cӕlo ac terris potiores, & quos amicitia, odium, lucri odor ac fumi, grauis & peſtilens, per calcatam gratiam lӕtos rapit. Nam quid tantam amentes iacturam quӕrimus? Quid tanto ambitu,

Leſſ. l. 1. de perf diu. c. 1. in Cap. 1 Ep. 2. ad Cor. Ser. 15. de verb. Apoſt. S. Tho. Bon. Valent. Molina Granat. Pro. 8.

tantum malorum aucupamur?

Habet enim prærogatiua gratiæ præ naturâ, hunc inſuper cumulum, vt eius pars infima, cunctis naturæ bonis præponderet. *Melior eſt enim vnus timens Deum, quam mille filij impij*, affirmatque B. Auguſtinus, quod paulò ante indicaui (ſed verbis iuuat conceptis reddere) Dei gratiam non ſolùm omnia ſydera, & omnes cælos, verùm etiam omnes angelos ſupergredi. Quod ipſum vetat Caietanus vllo temporis puncto nobis excidere, ne vnà excidat pœnæ acerbitas, tanta vltrò bona diuinitùs oblata contemnentibus paratæ. Ac iure omnino, quòd hæc Dei dona conculcentur, hominum Angelorumque imperio maiora, & à Deo oblata, & ab homine vili, ingratóque ſpreta, & quiſquiliis rerum ac ſordibus non ſolùm poſtpoſita, ſed mundo ac dæmoni prodita, vendita, mancipata; cùm propter dantium diſcrimen nefas ſit, vel cælum à dæmone accipi, aut inferorum pœnas de manu Dei recuſari; nos verò ab illo inferis peiora; eáque ſexcentis conferta moleſtiis auidi captamus, gratulabundi admittimus; Deo oblata, etſi orbe toto pretioſiora, & paternis condita deliciis, repudiamus atque deſpuimus. Verùm dantes omitte, dantium animum attende. Dat Deus profusè incredibili amore, inæſtimabilem margaritam; dat parciſſimè dæmon ex implacabili odio, infame ludibrium: ſi muneri pretium facit dantis potius animus, quàm munus; quid hoc tandẽ furoris ac dedecoris eſt, leui compendio, applauſu, & voluptatulâ, quibus rabie ardens hoſtis,

Eccl. 16.

Lib. 2. ad Bonif. c. 6.

hoſtis, mortem miſcet quam tibi obiicit, ſummum Dei optimi donum ac ineffabile proiicere? & iacturâ illius id emere, quo infeliciùs & crudeliùs pereas? S. Eulog. S. Mac.

Valet autem hæc tanta gratiæ dignitas totam infinitâ intercapedine naturam infra ſe deſpectans, non ad vitandos modò lapſus eidem gratiæ lethales; ſed ad ſtrenuam virtutum culturam, quibus alitur & augetur. Eſto, nihil tibi gratiæ decedat, omiſſo profeſtis diebus Miſſæ ſacro, neglectâ orandi, miſerendi, pœnitendi, affligtandi tui, abiiciendique arbitrariâ ſollicitudine; at ingens damnum eſt quod nihil ei accedit, cùm facilè poſſet talibus ſtudiis multum accedere. Fingat ſibi auarus diei vnius ieiunium, precationem, aut cilicium totis Indorum penſanda claſſibus, quis illum teneat, capiat, adire, affarique auſit? Quis perſuadeat iſtorum laborem operum & valetudinis ex eo periculum vt excuſet? Tu eumdem laborem quo colore, quâ ſiue prudentiâ, ſeu vecordiâ excuſas, præmij certus, cuius minima ſors mille Indias, ac totidem mundos interuallo inexplicabili tranſcendit; & ceſſamus poſt hæc ignaua capita? nec in verſandâ glebâ ſudorem, & ſanguinem fundimus auream meſſem ocyùs daturâ? Quid dico ſanguinem? ſatis eſt gemitus, ſatis lacrymula, ſat propoſiti vigor, & deſiderij, miſsáque identidem cælo vox IESVM ſpirans, & IESVM implorans. Quis non ſexcenties quot horis IESVM inclamet, ac nominet cupidus, ſi pari numero cistas auro plenas ſibi tunc adfore cognoſcit? 3.

Et hoc quantulum eſt cum iis compoſitum, quæ immobili fide nobis promittuntur, quoties preculam, votum; pium de Deo, de cælo, de nihilo noſtro ſuſpirium aut ſurſum tulerimus, aut mente preſſerimus? Ah quis hæc decora quis hoc gratiæ regnum, & has diuitias animis noſtris defigat penitus, idque à nobis non primoribus labiis, ſed deliberatâ fortique præparatione, efficacique perſuaſione obtineat
Gerſ. ſerm. de circumc. quod pronunciauit Doctor piiſſimus, eſſe gratiam naturæ Dominam, ac Reginam.

CAPVT. IV.

Præſtare miraculis gratiam.

1. PArum eſt gratiæ quod toti naturæ emineat, niſi ſit etiam iis ſuperior, quæcunque Deus mirabiliter patrauit. Sic relatum eſt paulò antè, palmarem gloriam omnipotentiæ diuinæ, *parcendo maximè & miſerando* contineri, vt quæ nihil vſquam inter homines maius perficiat quàm cùm ſuâ illos gratiâ perfundit;
Tr. 72. in Ioan. ſic intelligit S. Auguſtinus, illam promiſſi magnificentiam, quo ſe credentibus corporata diuinitas obſtrinxit, fore nimirum vt *horum ma-*
Ioan. 14 *iora* facerent quæ ipſa in orbe admirabiliter edebat, quod cum vnius Petri vmbra vix ratum facere videretur, explicat Sanctus Doctor, illa Chriſti miraculis maiora, iuſtificationis opus eſſe, cui pro ſua parte quiſque fidelium incum-

bit.

bit: iuit tamen Chriſti potentia inſtar aurei amnis per triplex miraculorum genus, quod Theologi diſtingunt, naturam reſtituens, attollens, & exornans ſupra omnem illius capacitatem, agendíque vim, ac modum; nam quæ bonis donatur gratia dum iuſtitiæ redduntur, etſi hanc ipſi nequaquam efficiant, ob hoc tamen quod eam promerentur, vel præparatione ſedulâ inuitant, dicuntur maiora Chriſti miraculis facere. S.Tho. 1.p.q. 105.a.8.

Ah! ſi norint homines, quantum ſit quod agunt, cùm anteactam vitam dolore criminum reſcindunt, ſerióque ad frugem redeunt maius profectò quiddam, & excellentius quàm ſi corpus mortale, immortalium gloriâ induerent, excitarent in vitam mortuos, hominem ex nihilo crearent: *Si hominem*, inquit, B. Auguſtinus, *te fecit Deus, & iuſtum tu te facis, melius aliquid facis, quam fecit Deus.* Quid ſi germanum poſſis, dolendo propria ſcelera è ſepulcro in vitam reuocare, an vſque adeò ſis Deo infenſus, & germano crudus, vt eum ipſi dolorem neges? Quid ergo mortuam animam, te, inquam, ipſum, æterno addictum exitio, ab eo non reuocas, cum poſſis tam leui ac parabili dolore? Fingamus indici damnatis ad inferos, facultatem vitæ melius retexendæ; an eorum quiſquam neglecturus ſit tantum munus, reiecturúſue in aliud tempus, aut momentum, etſi, maiore quàm ipſi nunc ferant cruciatu fruendum proponatur? Quanti verò id prodigij ſit videre homines ex horrendis illis flammarum ſepulcris in ſpem frugis, & gratiæ, 2. Ser. 15. de Verb. Apoſt.

felicitatiſque rediuiuos! At hoc heu! totum nobis in manu eſt, Dei præſidio, quod vltrò porrigitur, adiutis; cunctamur tamen inconſulti, & deliberamus, & moras agendi nectimus, emergendíque ex iis malis præ quibus leues ſunt damnatorum pœnæ; hoc eſt ex incendio ſcelerum, ſummæ odio bonitatis: Lethali autem confoſſam vulnere denuò animam inſtaurare excellẽtius ait S. Chryſoſtomus, quã corpus mortuum excitare, ac meritò quidem, cum ex B. Auguſtino corpus vitæ reddatur iterum caſuræ; anima, nunquam deſituræ: ex quo item affirmat S. Gregorius pluris eſſe conuerſionem Pauli Chriſtum perſequentis; quàm ſuſcitationem quatriduani Lazari in ſarcophago fœtentis. De quibus egregiè Richardus à S. Victore negat poſſe quid maius hominibus à Deo tribui, quàm vt ad vitam meliorem ſuo miniſterio nocentes reuocent, & ex familiâ dæmonis in Dei filios traducant. Nam cui poſſit niſi penitus cæco, videri grandius, carnem fragili vitæ, boníſque perituris, & voluptatibus reddere, quàm æternis. O dotem dignitatémque? quam ſponſæ vni, ab ſponſo vno, eodémque Deo aſſeri decuit, vim nempe Deo filios procreandi, & Iræ matri ac Patri dæmoni ſubductos, in ſinum gratiæ, & Chriſti iura transferendi. At ô noſtrum è contrario ſtuporem ad hæc animi dona ſenſu caſſum, ad corporis commoda viuacem & vegetum, & ſocordi gratiæ neglectu, immortali vtriuſque gloriæ peſſimè inimicum. Quæ, malum! inſania, velle corpus ſanum miraculo ſeruari; mor-

Tom. 4. homil. 4 De Verb Domini ſerm 44 fusè.
3. Dialog. c. 17
in Beniamin min. c. 44.

tem ab animâ ne remediis quidem communibus defendi? Quo tamen lethargo non ij modò laborant, qui ab ſe vitales gratiæ affluxus prohibent, verùm & qui acceptos, cùm poſſint facilè augere, contemnunt: Sciremus vtinam! cuilibet virtutis operi quid inſit ad incrementum gratiæ, meritúmque gloriæ momenti, nulla nobis abiret pars temporis ab amando, precando, adorandóque Deo vacua, & tæderet vel ſemel ſpiritum ducere, niſi ad Deum adſpirando: Sciremus! quanti ſit lugentem ſolari, ferre opem egenti, offenſam remittere; occaſiones eiuſmodi grandi pretio quæreremus, nec minus quàm Sancti Apoſtoli earum occurſu & beneficio gauderemus. Sciremus demum, quàm pretioſa ſit autoramenti conditio nobis vel ſemel ex virtutis præſcripto agentibus poſita; foret intolerandum nobis, cum poſſemus centum virtutis opera exercere, vnius nobis copiam eripi, & quod conſequens eſt, acceſſionem gratiæ illi reſponſuram, patratis à Chriſto prodigiis excellentiorem. Hanc in Thaumaturgis S. Eulogius præ miraculis ſuſpicit, integrámque illorum, caſtam & perpurgatam mentem iis præfert. Hanc demiratur S. Gregorius, cum in corporibus peracta quondam miracula docet in animis tantò præclarius nunc edi, quantò corpori mens cedit, & diuerſiſſimo vtrimque exitu patrantur, opportunitatis ſcilicet caducæ, ac beatitatis immortalis. Ad hæc, *corporalia illa*, inquit, *miracula oſtendunt ſanctitatem, non faciunt; hæc verò ſpiritualia quæ aguntur in mente, virtutem*

Act. 5.

Homil. 29. in Euang. de Aſceſ.

tem vitæ non oſtendunt, ſed faciunt; illa habere & mali poſſunt; iſtis autem perfrui niſi boni non poſſunt. Quod de ſummo quoque prodigiorum genere cenſendum ratio perſuadet, nec de altero tantùm, in quo S. Tho. ponit reuocatos in lucem hanc mortuos; nam multis ſimul locum vnum corporibus, pari, ac ſi vnum foret aptare laxitate, aut ea corpora beatorum dotalibus gloriis ornare, quamuis referat inter ſumma, quid tandem eſt ad coniunctionem animæ cum Deo in eam illabente, ac pulchritudinem ipſius ſempiterno Dei aſpectu dignam. Igitur ſi manca, & diſtorta membra corpúſque, putridum, & afflictas fortunas nemo non libens reſtituat, ſi parcâ id valeat eleemoſynâ, paucíſque ad Deum precibus obtinere, quo pacto non eſt in ſeipſum crudelis, qui æternum decorem, ac valetudinem & opulentiam non diſſimili ſumptu facilem & paratam animæ ſuæ negat? Cur noſtris conſiliis & rebus, geſtiſque ſingulis Dei amorem, & gloriam non præfigimus in ſcopum, cuius per ſingula ſtudio, diuinæ gratiæ altiorem in gradum euehamur qualibet naturæ præſtantiâ, quouis miraculo celſiorem.

CAPVT

CAPVT V.

Infuſæ gratiæ opus diuinorum operum maximum.

SEquitur alia gratiæ laus maior, quam tradit ſuo more preſsè ac ſolidè S. Thomas, qui cum ſtatuiſſet ex agendi modo creationem eſſe maximum Dei opus; ſubdit, res quæ ſit magnitudine ſpectatâ, eſſe iuſtificationem impij longè maius, vt quæ *terminatur ad bonum æternum diuinæ participationis, non autem naturæ mutabilis*. Ex quo iam apparet dementia hominis rem tantam diſſipantis haud ſanè leuior quàm ſi opus inſigne toto regalis potentiæ, ac ſapientiæ, regnique patrimonio ab Rege quopiam erectum execrandus ciuis non deſtrueret modò, ſed eius ſe ruina volens ſepeliret. Notus eſt poſtremus Samſonis actus; at heu crebrior, etſi multò minus, nec niſi obiter, paucisque cognitus, peccantis furor illi oppoſitus; qui ad dæmonem oblectandum, & dedecorandum conditorem, legémque illius ſanctiſſimam, Templo Spiritus increati diuinâ constructo gratiâ manus impias admolitur, eiúſque ſe caſu opprimit. Non hoc ſacrilegus Rex Antiochus auſus eſt, quanquam Dei Templo fuit iniurius; mox verò vltrici manu ictus, ebullientibus in vermes dilapſiſque fruſtatim carnibus, periit; violanti Spiritus ſancti Tem-

1. 1. 2. q. 113. a. 9.

plum, Deo ipſa cæli pulchritudine gratius, extinguentique ſtellas eius & ſacrarium temeranti, parcetur ſcilicet ? diſturbanti regiam ſtatuam fabri operâ cuſam, infertur crimen pœnáque maieſtatis; Dei opus excellentiſſimum, ſimillimum atque cariſſimum prementem, proculcantémque vindicta præteribit?
Phil.Gá. in 1.2.q. 113.c.8. Agnoſcant, ait doctus ſcriptor, agnoſcant mortales, quanta ſit grauitas, quàm violenta peſtis, quàm dira pernicies mortiferi criminis, quo diuina deſtruitur gratia; præſtaret ſi quidem in nihilum mundi huius machinam redigi, quàm illud admitti: ſed eſt vice versâ diuinius in tanti operis abſolutionem, ſociam manum Deo adiungere, quàm ad creandos ab eo angelos, cælúmque adhiberi; & hæc eſt pars noſtra, hæc magnifica ſors, fœlíxque conditio, vtinam ſat nota, qui ad augendam in nobis gratiam à Deo adſciſcimur. Quid hoc tandem, ô Deus, bonitatis ac profuſionis, tam altè in tuas glorias, frugis malæ ſeruulos admittentis? Quid hoc ignauiæ, indignitatíſque hanc Societatem diuinæ operæ abnuentis, aut lentè ac frigidè curantis, licet in vſus noſtros, quæſtúſque comparatam.

2. Suar. 66 1.c.13. Valent. d.8.p.4. Lobet. l.2. de perf. prop.2. Nec verò ab iis, quibus gratia præcellit, Dei præpotentis, operibus, excludendum eſt id lumen gloriæ, in quo ſuperi Deum vident, cuius beatiſſimi conſpectus præſtantiam viri doctiſſimi non minori iure gratiæ poſtponunt, quàm rei cuiuſlibet naturam, facultatibus eiuſdem, & actionibus. Vna humanitatis à Deo aſſumptio, quâ nec maius quidquam nec melius

Iſus fieri excogitaríque diuinâ potentiâ valuit, hoc ipſo dum cunctis Dei operibus, ipſíque iuſtificationi antecellit, huius prærogatiuam mirificè prodit, quod iuſtificationem pro ſcopo habuerit; Tanti fecit immenſa bonitas homines apud ſe facere gratioſos, nec vlli propterea pretio, non filio, nec ſibi pepercit, vt euigilemus ad hunc ſolem, ſtatuamúſque num deceat, quod tanto ardore, tantíſque impendiis nullius indiga maieſtas ſuſcepit, defungendi causâ, otioſéque à nobis obiri: Accedant his verba ſancti Theologi, *qui donum gratiæ iuſtificatis impium, hinc affirmat, dono gloriæ beatificantis iuſtum, maius eſſe, quòd plùs excedat donum gratiæ, impij dignitatem, quàm donum gloriæ, dignitatem iuſti quem gloriâ dignum iuſtificatio iam fecit*; Vnde ait S. Auguſtinus: *Iudicet qui poteſt, vtrùm maius ſit iuſtos Angelos creare, quã impios iuſtificare, certè ſi æqualis eſt vtrumque potentiæ, hoc maioris eſt miſericordiæ.* Præſtat ſanè maiora qui dat quingentos gratuitos, quam qui reddit bis mille debitos, debetur iuſtis præmium, reis ſupplicium; his loco ſupplicij donari veniam diuitiis gratiæ cumulatam, monumentum eſt immenſæ liberalitatis. Facit rebus plerumque pretium, egeſtas quærentis, obtinendíque difficultas; fuit ouicula pauperi carior, quàm Iobo greges, aqua Dauidi per medios hoſtes è ciſternâ Bethleem petita, quam quicquid alibi fontes ac fluuij voluebant. Quid autem, Deus immortalis! egentius homine gratia deſtituto; quid ad repetendam, recipiendámque debilius?

12. q. 113. a. 9.

Digitized by Google

3. Auget magnitudinem huius doni, peculiare quoddam beatitatem inter gratiámque diſcrimen. Fas enim quandóque viri magni cenſent, beatitatem non cupere; &, quoad nos attinet, ſi Deo viſum ſit, ipſam nolle; hac mente Moſem à Deo petiiſſe, vt de libro vitæ deleretur; Paulum, anathema pro fratribus fieret, pœnáſque ignium apud inferos ſuſtineret; abſentem verò gratiam non optare; deprecari, oblatam; poſſeſſæ partem abdicare, ne ſalute quidem omnium propoſitâ, vlli vnquam mortalium fas fuit. Cedant diuinis rationibus humanæ; ſatis Deo fiat, eiúſque honori per gratiam; deinde ſed longè poſt ſpatio, vtilitati noſtræ per præmium: non decet nos æquali ſtudio velle Deo & nobis placere; illud aſſequimur diuina adoptione ac tutelâ; hoc beatâ mentis corporíſque immortalitate; ex quo illa B. Anſelmo digna ſententia, quâ dixit, malle ſe gratia præditum inferis addici, quàm ea deſtitutum cælo frui. Scelus, opinor, ſuſcipiat nemo, niſi deſperatiſſimæ ſalutis, qui præſentem, ac certam æterni boni iacturam videat, nunquam ſarciendam, cum ſempiterni mali exploratiſſimâ & præſenti pœnâ. Quâ ergo dementiâ Dei offenſam non reſpuit, cuius ſupplicium imminere ſibi non dubitat, interitum gratiæ, quâ ſanè minoris pendenda eſt tota beatorum felicitas. Ah! tanti ponderis rationes, ſi rectè homines ſubducant! multos enim ſpes recuperandæ ſub mortem gratiæ, facit eius perdendæ prodigos, nec damnum interea inſulſi, bardíque computant, cæli totius

Mol. in 1. p. q. 24. Taul. ſerm. de Aſſum. Vbert. in arb. vit. l. 3 c. 3. Rusbr. de præcep. vir. c. 2. Chryſ. Oecum. Theop. Anſel. Caſſian. &c.

tius iacturâ grandius; Eſto ſis, infœlix! nec integrandæ cum Deo ſpes illa gratiæ te fallat; ſed eâ, vel punctum temporis carere terribilius eſt, quàm partis iam cæli gaudiis in perpetuum exturbari. Non ſunt hæ declamantium ampullæ, ſed meræ pronuntiata veritatis; Ipſe qui anathema eſſe à ſuperum cœtu, fratrum causâ optauit Apoſtolus, nullam vim tantam fingere animo potuit, quâ reuelli à gratia valeret, deliberatâ potius quorumuis malorum perpeſſione, ac priuatione bonorum, quàm ſe ab Chriſti charitate diſtrahi pateretur.

Vnum denique huic admirandæ, quod videtur magnificentiæ deeſſe, illam præcipuè commendat; miraculis enim ſuperior iuſtificatio, haud tamen eſt ipſa miraculum; In miraculo enim tria ſpectari monet S. Thomas. Primum eſt efficientis potentia, vnius Dei propria, cuius eſt ſolius patrare mira, hoc eſt occultam cauſam habentia; ſic tam reſtitutio impij quàm orbis creatio nomen poſſunt miraculi tenere. Alterum eſt forma naturam materiæ, cui inſeritur, excedens, vt eſt reparata cadaueri vita, quo modo miraculum non eſt; impium à Deo in gratiam recipi, cum ex B. Auguſtino conditus ad Dei imaginem, hoc ipſo ſit gratiæ capax. Tertium quiddam in miraculis inuenitur, quòd eſt præter morem & ordinem cauſarum, vt in Sauli ad Deum conuerſione ſubitâ euenit; ſed hoc parum ad rem noſtram iam facit. In ſecundo autem, quis te, ô bonitas, ô Dei optimi liberalitas augusta & immenſa non amet, reuereatur, obſtupeſcat? mune- 4.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ris tanti aſſecutionem, tam altè ſupra omnem naturam & miracula omnia locatam voluiſti citra miraculum perfici, & quò pronior nobis eſſet, intra vſitatos quærentium niſus, metáſque agendi ſolitas reliquiſti. Abſit, abſit inde minoris vt donum æſtimemus, vnde es, ô dator, pluris æſtimandus; & ex eo apud nos peiore loco ſit, quòd magis obuium, cunctíſque proponis, quàm ſi vni ac ſemel id dares. Sic verò à te conſtitutum ſi foret, quî poſſet in illius vnius pectus, tam execrabile, alienúmque conſilium ſubire, vt hac ſe theſauri ſingularis poſſeſſione vltrò abdicaret? Ah quantò nos melior eiuſdem accepti conditio, ac liberalior compellit, vt ſimus tui nimis, bone largitor, memores, & quicquid in nobis eſt virium, in muneris tui conſeruationem, decúſque contendamus.

CAPVT VI.

Poſſeſſorem ſui Diuina gratia ſupra naturæ ordinem euehit.

1. INter tot illa gratiæ decora notata magis hactenus quàm tractata, lucem reliquis ingentem adfert, quod ſupra quam fluxæ opes valent, poſſeſſores ſuos facit ſuæ totius excellentiæ conſortes. *Pone*, ait Seneca, *in opulentiſſimâ me domo, pone vbi aurum, argentúmque in promiſcuo ſit, non ſuſpiciam me ob iſta,* (De beat vit c. 25.)

quæ

quæ etiamſi apud me, extra me tamen ſunt, non peruadunt hominem penitus, & quantumuis blandâ magnâque ſpecie oculis illudant, nec temperamento, nec formâ corporis, nec ſupellectile animi faciunt tantillo meliorem; Verùm enimuerò gratiæ laus hæc eſt, vt quem obtinet gradum, hoſpitem ſuum in eo ſtatuat; animum ſiquidem, hoc eſt, hominem ipſum, non hominis ſpolium permeat, afficitque, ac ſibi commiſcens dotes cum illo ſuas participat vniuerſas; ita illum ſecum, in ſtatum peruehit pulcherrimo iſto atque ampliſſimo mundi opere celſiorem, vt quicquid gratia theſaurorum claudit, id omne habeat in ſe cum gratiâ transfuſum poſſeſſor gratiæ fortunatus; & quàm diues foret qui vnâ in gemmâ regnorum omnium, terræque ac cæli pretium haberet, tam debet cenſeri opulentus, quem rebus cunctis à Deo conditis hæc vna gratiæ maiorem facit poſſeſſio; vniuerſitatis huius in infinitum porrectam, ditiſſimámque vaſtitatem minima gratiæ portio excedit, miraculis eminet, ordinem efficit ſupra naturæ faſtigia nobiliſſimum, nec poteſt à Deo patrari aliquid maius gratiæ attributione, ex quo conſequitur, cui tam opima hæreditas obtigit, hu-
eſſe principes Dei [illegible]
ræ limitibus, ſed ea litiſque ſuper eam miraculis admirabilius, atque diuinius. Ita S. Cyrillus Alexandrinus, nos Chriſti gratiâ, velut ſplendenti ornatos purpurâ in dignitatem prouectos aſſerit naturæ captu illuſtriorem, & Dionyſius Carthuſianus pretium operæ cui merces

In c. 14. Ioan.

In 2. d. 27. q. 2. ad ſent. Durand.

merces debetur cenſendum, partim ex gratia, quæ hominem Deo acceptum facit, ac ſimilem, partim ex naturâ rationis capaci, ſed ſupra naturam beneficio gratię promotâ. Hoc verò quid tandem honoris immodici, largitatiſque eſt? eductum ex tenebris, limóque natali hominem, non inferiori ſolùm huic mundo & animantibus, tanquam alterum Adamum præficere, non terræ ac cælo, Angelis atque hominibus; ſed eò attollere, quò nullius per ſe natiua nobilitas pertingit. Extat profectò quiuis Deo gratus, etſi doloribus & miſeriis plenus, tantò ſuperior Seraphinorum Principi, quantò hîc mediaſtino vili, & mendico. Atque hîc noſtram quis ſatis lugeat tetram noctem, qui hunc amplitudinis apicem fœdâ toties mutamus ſeruitute? ſæuimus interim miſeri capitalibus iris, & mutuis cædibus, vt gradum inuadamus mendaci cæcorum iudicio cæteris digniorem; & ſi detur optio naſcituris, nemo niſi ſupremum, nobiliſſimúmque delegerit, nemo infra vllam purarum mentium velit conſiſtere. Quod ergo nos faſcinum incantat? cum ad hoc multò auguſtius, quod nobis defertur, imò ingeritur, nomen decúſque gratiæ, aut nihil mouemur, aut fortè acceptum venale quilibet, teruntio ponimus? Quem non percellat defectus in beſtiam Nabuchodonoſor? Ex potentiſſimo, inuictiſſimo, triumphantiſſimo vaſtiſſimi imperij Rege ac Domino, cuius *magnitudo peruenerat vſque ad cælum & poteſtas in terminos vniuerſæ terræ*, paſtu, villis, vnguibus, figurâ, voce, in feram verſus, in

ſyluas

ſyluas extruſus, ſeptennium inter illas egit. Quid habet hi etiamen formidoloſum, minúſve tolerandum caſus, ad eius ruinam qui de gratiæ ſolio creata infra ſe procul omnia ſpectante in ſortem dæmonum ac pœnam præcipitatur voluntario impetu, & quoad illum attinet nunquam reuocando?

Agnoſce homo ſplendorem quem à gratia ducis, dignitatem quam mente obtines, vitâ gere; quid tibi cum mundi legibus, qui mundum longè ſub pedibus calcas, qui nobilitate ſecundi generis cælum premis; quid mente in terrâ cœnóque volutaris? Hûc nuda ratio perduxit, ſtultos veteris ſapientiæ architectos vt probè viderint, abſurdum eſſe terræ huius præ cæli orbibus, ſtelliſque amorem. *Hoc eſt punctum*, inquit ex iis vnus, *quod inter tot gentes ferro, & igni diuiditur: ô quàm ridiculi ſunt mortalium termini? Vltra Iſtrum Dacus non exeat, Strymo Thracas includat; Parthis obſtet Euphrates; ſi quis formicis det intellectum hominis, nonne & illæ vnam aream in multas prouincias diuident? ſurſum ingentia ſpatia ſunt*, &c. Alius in tam vario theatro, quod ex Lunæ regionibus deorſum ſpectarat, viſas ſibi narrat res omnes ridiculas, eos præcipuè qui campos fixis limitibus metati, in iis valde læti ſuperbè regnabant, cum tota Græcia vix inſtar eſſet quatuor digitorum, inter compluresꝫ eius prouincias minima Attica vix poſſet notari; palatia diuitum, & latifundia ne apparerent quidem; Alij alia; Nos propriæ conſcios dignitatis, quâ cælum re ipſa, non

2.

Sen. præf in quæſt natur.

Lucian. in Icaromenip.

verbis duntaxat, aut cogitatione tranſcendimus quid agere oportet, quid de nobis, de gratiâ, de rebus infimis ſentire? Si tantum intereſt inter ſupremum orbem, & hanc terræ molem: vt hæc præ illo vix punctum obtineat, cùm ſtellarum permultæ, quæ punctum lucis hominibus exhibent ſint hoc terræ globo multis partibus maiores; inter gratiæ ſolem à Deo proximè afflatum, & hoc vitæ totius noſtræ, ac patriæ lutum, quantum neceſſe eſt chaos interiici? Quid paritura eſt ratio dignitatum, tam immenſis diſſociata interuallis, ſi tam portentoſæ magnitudinis corpora locorum diſcrimé in apices cogit, etſi qualecunque animo cogitetur, non poſſit eò peruenire quò ſupra naturæ vniuerſitatem, regiam ſuam gratia poſuit? Tanta eſt ordinis maieſtas, in quem verè pœnitens factorum reus repentè adſciſcitur! ſed, quod eſt maximè dolendum, eam quaſi ſepultam ignoramus, & cum videamus fallaces de mole cæleſtium orbium, oculorum ſuffragationes certiore intelligentiâ à Philoſophis corrigi, noſtram de pretio gratiæ ignorationem fidei diuinæ certioribus oraculis nondum corrigimus.

5\. Pauci quibus id perſuaſum eſt, generis memores, & nobilitatis à gratia ductæ, cupiditatibus naturæ, ac ſtudiis indignantur; & ruſtici more in curules rapti, ſaliuam originis priſtinæ, oblectamenta, notas, & quicquid vmbram abiectionis paternæ præfert, erubeſcunt. Plotinum corporis puduit, animi conſcium, & amantem: Iſidoro Alexandrino ciebat lacrymas edendi

Porp. in eius vita H. . Lauſ. c. 1.

edendi neceſſitas,quod natus epulis beatorum, ad quadrupedum pabula cogeretur: nefas Paulus rebatur *gloriari niſi in cruce Domini noſtri IESV Chriſti*; nefas *acquieſcere carni & ſanguini*: nefas magni aliquid feciſſe præter *nouam creaturam*: Nobis quo pacto natalis ruſticitas recurrit? qui nos genius turpis & ingratus à nouæ familiæ dignitate, in antiquæ ſordes & ignominiam retrahit, naturæ Dominos & ſuperûm ſocios? Quod œſtrum ad horam porcorum extimulat, & accepti regni oblitos delitias,agit in voluptates ſenſúſque pecudum, generoſitati gratiæ probroſos? Illò, illò tendamus virtute, quò ſumus euecti dignitate; ſi quid eſt inferius optandum, cruces cum Apoſtolo ambiamus, in quas naturæ mundóque confixi, pro alterius, ac ſuperioris naturæ ciuibus nos geramus. Ad Gal.

CAPVT VII.

Gratiam eſſe increatæ Dei naturæ participationem.

MAgnum eſt hominem beneficio gratiæ, naturæ omni creatæ præponi, ſed maius omnino increatæ participem fieri,cuius excellentiſſimi conſortij nos primus admonuit S. Petrus à quo in eam dictum ſententiam interpretantur Patres, *nos Dei maximis, pretioſiſque muneribus diuinæ conſortes naturæ eſſe fa-*

1. Auguſt. Ep. 102. cap. 4. Cyrill. 3 Theſſ. cap. 3. Athan. S. Tho.

ctos, haud quidem modo quolibet,ſed ſummo, & quanto ipſa naturis cæteris præcellit,hoc eſt, infinito, cuius excelſitatem doni non poſſunt Sancti pro voto prædicare;cenſet enim B. Areopagita, in ordinem, ſtatumque diuinum vi gratiæ ſublatis, vitam nobis diuinam inſpirari; S.Maximus diuinitatem dari, peruadente gratiâ naturam cæleſti luce, ac vltra conditionis ſuæ claſſem efferente; S. Thomas nos ἀποθεῶν & deificari, quo dici ſublimius nihil poteſt: Sunt enim cuncta propriis diſtincta veluti gradibus, habent quædam vt ſint ſolummodò, plura vt conſtent ex diuerſis; alia vt viuant, vt ſentiant, ratiocinentur in corpore, ſine adminiculo corporis intelligant, qui ordo omnium ſupremus,ſuis tamen nobilitatis diuerſæ gradibus in faſtigium aſſurgit, extra humani proſpectus aciem conſtructum, ſi præſertim ex illo ſpirituum innumerabili populo, quiſque proprium habet excellentiæ characterem quo ab aliis diſcrepet, & demus habeat, addamúſque his alias præſtantiorum naturarum, quæ condi valent à præpotente Deo claſſes infinitas; diuina iis longè omnibus prominet,in cuius nos gremium,& ſocietatem ius præcipuum gratiæ aſſumit,& diuino perinde ordini inſcribit vt palmam in viuentium gradum; inter ſentientia leonem videmus inſertos; quod pondus inopinatæ dignitatis ſi vni tantummodò animæ inter tot myriadas hominum impoſuiſſet Deus, infuſo in eam ſuæ gratiæ theſaurò, naturæ totius pulchritudinem obſcuraret, ac tum omnes mortales, tum mentes illas à concretione

cretione corporis liberas in ſui admirationem, & adorationem verteret vniuerſas. Quî fit itaque nunc vt idem hoc boni, ſed fuſum latius tam flocci pendamus, & quò eſt Deus in nos profuſior, hoc ſimus in illum ſordidius parci? vt emptis ingenti labore auríque pondere titulis, conſortia procerum, ambitio affectet, hoc Dei conſortium negligat? vt in ſanctioribus conſiliis ſolitos regibus aſſidere, ſi loco moueantur, dedecoris impatientia extinguat; nos, ah! ſæuam iacturam & immedicabilem honori noſtro plagam! tepidè moueat, Dei non dicam conſiliis, & affatu, ſed naturâ & genere excidiſſe? vt teſte conficto impetitus claritatis auitæ nitor crudelem in modum nos diſtrahat; verâ peccati maculâ fœdatus, nobilitatis diuinæ hic ſplendor non lancinet, agátque in mille potius vulnera & mortes, quàm vt eam eluere maculam differamus; ſpernit ipſum profectò Deum, qui hoc ipſius bonitatis, ac diuinitatis conſortium negligit; proiecti honoris, famæ, iudicij, ſui hoſtis, Deíque capitaliſſimus.

Adde quod cæteros honores cudit opinio, 2.
non res ipſa; gratiæ dignitas, non vulgi ſomniis, non cenſu prudentum, regumve arbitrio, ſed re ipsâ, ſuapte præſtantiâ, vltróque manantibus ex ea dotibus ſuam per ſe obtinet dignitatem, quâ mentem Deo ſimilem efficit, atque vt loquitur S. Theologus: *Quod ſubſtantialiter eſt in Deo, accidentaliter fit in animâ participante diuinam bonitatem.* Huius noſtræ gloriæ arcano lucem viri ſancti variam accer-

1.2.q. 110.a.2. ad 2

 ſunt:

Lib.ad Serapionem de Spir. ſunt: Athanaſius à balſamo, & ambrâ ſuam illic ſpargentibus ſuaueolentem fragrantiam, vbi eſſe per ſeſe deſierint; idem cum Apoſtolo ſanctus, à ſigillo figuram ſui ceris docilibus imprimente; S. Thomas, ab rudi, frigido, ni-
1. 2. q. 112. a. 1. grante, informi, & ignauo ferro ſed vi caloris in ignem ſic mutato, vt ſeruatâ ferri ſubſtantiâ, fiat lucidum, ardens, ductile, actuoſiſſimum; qui norit (quem verò id latet?) quid Deus ab igne diſcrepet, intelliget facilè quid interſit inter animam ardore gratiæ in Deum transformatam, & ferrum concretis imbutum, tenacibúſque flammis, quo tamen nihil poſſet curioſius ſpectari, niſi conſuetudine viluiſſet. Si cui tam ſit procliue celeritatem animi quâ viget Angelus adipiſci, quàm pronum eſt gratiam augere, opinor illam opportunitatem nec mora nec tædio corrumpat; nimium dico dum Angelum memoro, abiectioribus etiam dementamur, velocitate cerui, leonis robore, & huiuſmodi genuinis animantium viribus, ſi obtentu faciles ponantur; & ô pudorem non ferendum! diuinæ collegium naturæ, ortáſque ex eâ dotes eximias conatu leuiſſimo aſſequi detrectamus, ô ſenſum mendacem, & perfidum! vbi mens, vbi religio, & Chriſti fides? Ponamus in vnum quempiam, à Deo coniectum quicquid vſquam in rebus conditis excellit, ſit acutior liberis mentibus, Elephanto neruoſior, formoſior aurorâ & floribus; ſole ſplendidior; hæc ſi aleæ iactui committat, imò belluinâ & turpi eſcâ, dementior, conficiat, quis abſurditatem ingratiſſimi ſceleris
non

non horreſcat ? & ſunt hæ puerorum nuces; vti Samſonis quoque robur mirabile; quo mirabilior eius ſtultitia videtur quæ illud fictis mulierculæ lacrymis prodendum credidit. At diuinitatis cognatio, at diuinarum communicatio virtutum, pulpæ huic fœtenti, putredinis filiæ, ſorori, matríque vermium prodita; at imperium. Hîc ſtylus concidit tam triſti, quotidianóque argumento: Flete Angeli pacis, ſi quid vobis lacrymarum eſt, miſerorum fratrum crudelia in ſeipſos perpetuáque deliria, & tantorum bonorum indigniſſimam profanationem.

Quibus verò mens oculatior, & ſanior animus, ſpectent, mirentur, ac reuereantur dignitatem ſuam, eiúſque autorem tot patrem luminum toto amore complectantur; ſtellis certè ſi detur aliquis pulchritudinis ſuæ ſenſus, quanta mox erga ſuum ſolem veneratio, amórque inardeſcat, cuius ſe vnius diuites opibus, ſuſpiciendas luce, ſimilitudine admirandas amabiléſque aduerterint? amat ſtipitem ſanguinis ſui, princeps; ſenator, ordinis principem; filius patrem; ſi modò filius; & quiſque ſimilem; contra hos naturæ ac iuris legitimos impetus cur pro ſenſuum voluptate ac tyrannide pugnamus; efferat ſeſe ſupra hominem totum Chriſtianus, ſuíque meminerit; rideat omnia in quibus mortales ſpebus magnis deſudant, palatia, tabulas, ſigna, gemmarum, aurique copiam quaſi crepundia, in quibus pueri magno molimine, ac multum ſeriò adlaborant: hominem Plato miraculum dixit; in Theæt. 3.

medullam

5. Auget magnitudinem huius doni, peculiare quoddam beatitatem inter gratiámque diſcrimen. Fas enim quandóque viri magni cenſent, beatitatem non cupere; &, quoad nos attinet, ſi Deo viſum ſit, ipſam nolle; hac mente Moſem à Deo petiiſſe, vt de libro vitæ deleretur; Paulum, anathema pro fratribus fieret, pœnáſque ignium apud inferos ſuſtineret; abſentem verò gratiam non optare; deprecari, oblatam; poſſeſſæ partem abdicare, ne ſalute quidem omnium propoſitâ, vlli vnquam mortalium fas fuit. Cedant diuinis rationibus humanæ; ſatis Deo fiat, eiúſque honori per gratiam; deinde ſed longè poſt ſpatio, vtilitati noſtræ per præmium: non decet nos æquali ſtudio velle Deo & nobis placere; illud aſſequimur diuina adoptione ac tutelâ; hoc beatâ mentis corporíſque immortalitate; ex quo illa B. Anſelmo digna ſententia, quâ dixit, malle ſe gratia præditum inferis addici, quàm ea deſtitutum cælo frui. Scelus, opinor, ſuſcipiat nemo, niſi deſperatiſſimæ ſalutis, qui præſentem, ac certam æterni boni iacturam videat, nunquam ſarciendam, cum ſempiterni mali exploratiſſimâ & præſenti pœnâ. Quâ ergo dementiâ Dei offenſam non reſpuit, cuius ſupplicium imminere ſibi non dubitat, interitum gratiæ, quâ ſanè minoris pendenda eſt tota beatorum felicitas. Ah! tanti ponderis rationes, ſi rectè homines ſubducant! multos enim ſpes recuperandæ ſub mortem gratiæ, facit eius perdendæ prodigos, nec damnum interea inſulſi, bardíque computant, cæli to-

Mol. in 1. p. q. 24 Taul. ſerm. de Aſſum. Vbert. in arb. vit. l. 3 c. 3. Rusbr. de præcep. vir. c. 2. Chryſ. Oecum. Theop. Anſel. Caſſian. &c.

tius iacturâ grandius; Eſto ſis, infœlix! nec integrandæ cum Deo ſpes illa gratiæ te fallat; ſed eâ, vel punctum temporis carere terribilius eſt, quàm partis iam cæli gaudiis in perpetuum exturbari. Non ſunt hæ declamantium ampullæ, ſed meræ pronuntiata veritatis; Ipſe qui anathema eſſe à ſuperum cœtu, fratrum causâ optauit Apoſtolus, nullam vim tantam fingere animo potuit, quâ reuelli à gratia valeret, deliberatâ potius quorumuis malorum perpeſſione, ac priuatione bonorum, quàm ſe ab Chriſti charitate diſtrahi pateretur.

Vnum denique huic admirandæ, quod videtur magnificentiæ deeſſe, illam præcipuè commendat; miraculis enim ſuperior iuſtificatio, haud tamen eſt ipſa miraculum; In miraculo enim tria ſpectari monet S. Thomas. Primum eſt efficientis potentia, vnius Dei propria, cuius eſt ſolius patrare mira, hoc eſt occultam cauſam habentia; ſic tam reſtitutio impij quàm orbis creatio nomen poſſunt miraculi tenere. Alterum eſt forma naturam materiæ, cui inſeritur, excedens, vt eſt reparata cadaueri vita, quo modo miraculum non eſt; impium à Deo in gratiam recipi, cum ex B. Auguſtino conditus ad Dei imaginem, hoc ipſo ſit gratiæ capax. Tertium quiddam in miraculis inuenitur, quòd eſt præter morem & ordinem cauſarum, vt in Sauli ad Deum conuerſione ſubitâ euenit; ſed hoc parum ad rem noſtram iam facit. In ſecundo autem, quis te, ô bonitas, ô Dei optimi liberalitas auguſta & immenſa non amet, reuereatur, obſtupeſcat? mune- 4.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

ris tanti aſſecutionem, tam altè ſupra omnem naturam & miracula omnia locatam voluiſti citra miraculum perfici, & quò pronior nobis eſſet, intra vſitatos quærentium niſus, metáſque agendi ſolitas reliquiſti. Abſit, abſit inde minoris vt donum æſtimemus, vnde es, ô dator, pluris æſtimandus; & ex eo apud nos peiore loco ſit, quòd magis obuium, cunctíſque proponis, quàm ſi vni ac ſemel id dares. Sic verò à te conſtitutum ſi foret, quî poſſet in illius vnius pectus, tam execrabile, alienúmque conſilium ſubire, vt hac ſe theſauri ſingularis poſſeſſione vltrò abdicaret? Ah quantò nos melior eiuſdem accepti conditio, ac liberalior compellit, vt ſimus tui nimis, bone largitor, memores, & quicquid in nobis eſt virium, in muneris tui conſeruationem, decúſque contendamus.

CAPVT VI.

Poſſeſſorem ſui Diuina gratia ſupra naturæ ordinem euehit.

1. INter tot illa gratiæ decora notata magis hactenus quàm tractata, lucem reliquis ingentem adfert, quod ſupra quam fluxæ opes valent, poſſeſſores ſuos facit ſuæ totius excellentiæ conſortes. *Pone*, ait Seneca, *in opulentiſſimâ me domo, pone vbi aurum, argentúmque in promiſcuo ſit, non ſuſpiciam me ob iſta,* (De beat vit c. 25.)

quæ

quæ etiamſi apud me, extra me tamen ſunt, non peruadunt hominem penitus, & quantumuis blandâ magnâque ſpecie oculis illudant, nec temperamento, nec formâ corporis, nec ſupellectile animi faciunt tantillo meliorem; Verùm enimuerò gratiæ laus hæc eſt, vt quem obtinet gradum, hoſpitem ſuum in eo ſtatuat; animum ſiquidem, hoc eſt, hominem ipſum, non hominis ſpolium permeat, afficitque, ac ſibi commiſcens dotes cum illo ſuas participat vniuerſas; ita illum ſecum, in ſtatum peruehit pulchetrimo iſto atque ampliſſimo mundi opere celſiorem, vt quicquid gratia theſaurorum claudit, id omne habeat in ſe cum gratiâ transfuſum poſſeſſor gratiæ fortunatus; & quàm diues foret qui vnâ in gemmâ regnorum omnium, terræque ac cæli pretium haberet, tam debet cenſeri opulentus, quem rebus cunctis à Deo conditis hæc vna gratiæ maiorem facit poſſeſſio; vniuerſitatis huius in infinitum porrectam, ditiſſimámque vaſtitatem minima gratiæ portio excedit, miraculis eminet, ordinem efficit ſupra naturæ faſtigia nobiliſſimum, nec poteſt à Deo patrari aliquid maius gratiæ attributione, ex quo conſequitur, cui tam opima hæreditas obtigit, hunc eſſe princeps Dei opus nullis definitum naturæ limitibus, ſed eâ ſitiſque ſuper eam miraculis admirabilius, atque diuinius. Ita S. Cyrillus Alexandrinus, nos Chriſti gratiâ, velut ſplendenti ornatos purpurâ in dignitatem prouectos aſſerit naturæ captu illuſtriorem, & Dionyſius Carthuſianus pretium operæ cui In c.14 Ioan.

merces

In 2. d. 27. q. 2. ad ſent. Durand.

merces debetur cenſendum, partim ex gratia, quæ hominem Deo acceptum facit, ac ſimilem, partim ex naturâ rationis capaci, ſed ſupra naturam beneficio gratię promotâ. Hoc verò quid tandem honoris immodici, largitatiſque eſt? eductum ex tenebris, limóque natali hominem, non inferiori ſolûm huic mundo & animantibus, tanquam alterum Adamum præficere; non terræ ac cælo, Angelis atque hominibus; ſed eò attollere, quò nullius per ſe natiua nobilitas pertingit. Extat profectò quiuis Deo gratus, etſi doloribus & miſeriis plenus, tantò ſuperior Seraphinorum Principi, quantò hîc mediaſtino vili, & mendico. Atque hîc noſtram quis ſatis lugeat tetram noctem, qui hunc amplitudinis apicem fœdâ toties mutamus ſeruitute? ſæuimus interim miſeri capitalibus iris, & mutuis cædibus, vt gradum inuadamus mendaci cæcorum iudicio cæteris digniorem; & ſi detur optio naſcituris, nemo niſi ſupremum, nobiliſſimúmque delegerit, nemo infra vllam purarum mentium velit conſiſtere. Quod ergo nos faſcinum incantat? cum ad hoc multò auguſtius, quod nobis defertur, imò ingeritur, nomen decúſque gratiæ, aut nihil mouemur, aut fortè acceptum venale cuilibet, teruntio ponimus? Quem non percellat deiectus in belluam Nabuchodonoſor? Ex potentiſſimo, inuictiſſimo, triumphantiſſimo vaſtiſſimi imperij Rege ac Domino, cuius *magnitudo peruenerat vſque ad cælum & poteſtas in terminos vniuerſæ terræ*, paſtu, villis, vnguibus, figurâ, voce, in feram verſus, in ſyluas

ſyluas extruſus, ſeptennium inter illas egit. Quid habet hi etamen formidoloſum, minúſve tolerandum caſus, ad eius ruinam qui de gratiæ ſolio creata infra ſe procul omnia ſpectante in ſortem dæmonum ac pœnam præcipitatur voluntario impetu, & quoad illum attinet nunquam reuocando?

Agnoſce homo ſplendorem quem à gratia ducis, dignitatem quam mente obtines, vitã gere; quid tibi cum mundi legibus, qui mundum longè ſub pedibus calcas, qui nobilitate ſecundi generis cælum premis; quid mente in terrâ cœnóque volutaris? Hûc nuda ratio perduxit, ſtultos veteris ſapientiæ architectos vt probè viderint, abſurdum eſſe terræ huius præ cæli orbibus, ſtelliſque amorem. *Hoc eſt punctum*, inquit ex iis vnus, *quod inter tot gentes ferro, & igni diuiditur: ô quàm ridiculi ſunt mortalium termini? Vltra Iſtrum Dacus non exeat, Strymo Thracas includat; Parthis obſtet Euphrates; ſi quis formicis det intellectum hominis, nonne & illa vnam aream in multas prouincias diuident? ſurſum ingentia ſpatia ſunt*, &c. Alius in tam vario theatro, quod ex Lunæ regionibus deorſum ſpectarat, viſas ſibi narrat res omnes ridiculas, eos præcipuè qui campos fixis limitibus metati, in iis valde læti ſuperbè regnabant, cum tota Græcia vix inſtar eſſet quatuor digitorum, inter compluresꝫ eius prouincias minima Attica vix poſſet notari, palatia diuitum, & latifundia ne apparerent quidem; Alij alia; Nos propriæ conſcios dignitatis, quâ cælum re ipſa, non

Margin notes: 2. — Sen. præf. in quæſt. natur. — Lucian. in Icaromenip.

D verbis

verbis duntaxat, aut cogitatione tranſcendimus quid agere oportet, quid de nobis, de gratiâ, de rebus infimis ſentire? Si tantum intereſt inter ſupremum orbem, & hanc terræ molem: vt hæc præ illo vix punctum obtineat, cùm ſtellarum permultæ, quæ punctum lucis hominibus exhibent ſint hoc terræ globo multis partibus maiores; inter gratiæ ſolem à Deo proximè afflatum, & hoc vitæ totius noſtræ, ac patriæ lutum, quantum neceſſe eſt chaos interiici? Quid paritura eſt ratio dignitatum, tam immenſis diſſociata interuallis, ſi tam portentoſæ magnitudinis corpora locorum diſcrimē in apices cogit, etſi qualecunque animo cogitetur, non poſſit eò peruenire quò ſupra naturæ vniuerſitatem, regiam ſuam gratia poſuit? Tanta eſt ordinis maieſtas, in quem verè pœnitens factorum reus repentè adſciſcitur! ſed, quod eſt maximè dolendum, eam quaſi ſepultam ignoramus, & cum videamus fallaces de mole cæleſtium orbium, oculorum ſuffragationes certiore intelligentiâ à Philoſophis corrigi, noſtram de pretio gratiæ ignorationem fidei diuinæ certioribus oraculis nondum corrigimus.

3. Pauci quibus id perſuaſum eſt, generis memores, & nobilitatis à gratia ductæ, cupiditatibus naturæ, ac ſtudiis indignantur; & ruſtici more in curules rapti, ſaliuam originis priſtinæ, oblectamenta, notas, & quicquid vmbram abiectionis paternæ præfert, erubeſcunt. Plotinum corporis puduit, animi conſcium, & amantem: Iſidoro Alexandrino ciebat lacrymas edendi

Porp. in eius vita H L Lauſ. c. 1.

edendi neceſſitas,quod natus epulis beatorum, ad quadrupedum pabula cogeretur: nefas Paulus rebatur *gloriari niſi in cruce Domini noſtri IESV Chriſti*; nefas *acquieſcere carni & ſanguini*: nefas magni aliquid feciſſe præter *nouam creaturam*: Nobis quo pacto natalis ruſticitas recurrit? qui nos genius turpis & ingratus à nouæ familiæ dignitate, in antiquæ ſordes & ignominiam retrahit, naturæ Dominos & ſuperûm ſocios? Quod œſtrum ad horam porcorum extimulat, & accepti regni oblitos delitias,agit in voluptates ſenſúſque pecudum, generoſitati gratiæ probroſos? Illò, illò tendamus virtute, quò ſumus euecti dignitate; ſi quid eſt inferius optandum, cruces cum Apoſtolo ambiamus, in quas naturæ mundóque confixi, pro alterius, ac ſuperioris naturæ ciuibus nos geramus.

Ad Gal.

CAPVT VII.

Gratiam eſſe increatæ Dei naturæ participationem.

MAgnum eſt hominem beneficio gratiæ, naturæ omni creatæ præponi, ſed maius omnino increatæ participem fieri,cuius excellentiſſimi conſortij nos primus admonuit S. Petrus à quo in eam dictum ſententiam interpretantur Patres, *nos Dei maximis, pretioſiſque muneribus diuinæ conſortes naturæ eſſe factos*,

1. Auguſt. Ep. 102. cap. 4. Cyrill. 3 Theſſ. cap. 3. Athan. S. Tho.

ctos, haud quidem modo quolibet,ſed ſummo, & quanto ipſa naturis cæteris præcellit,hoc eſt, infinito, cuius excelſitatem doni non poſſunt Sancti pro voto prædicare;cenſet enim B. Areopagita, in ordinem, ſtatumque diuinum vi gratiæ ſublatis, vitam nobis diuinam inſpirari; S.Maximus diuinitatem dari, peruadente gratiá naturam cæleſti luce, ac vltra conditionis ſuæ claſſem efferente; S. Thomas nos ἀποθεῖν & deificari, quo dici ſublimius nihil poteſt: Sunt enim cuncta propriis diſtincta veluti gradibus, habent quædam vt ſint ſolummodò, plura vt conſtent ex diuerſis; alia vt viuant, vt ſentiant, ratiocinentur in corpore, ſine adminiculo corporis intelligant, qui ordo omnium ſupremus,ſuis tamen nobilitatis diuerſæ gradibus in faſtigium aſſurgit, extra humani proſpectus aciem conſtructum, ſi præſertim ex illo ſpirituum innumerabili populo, quiſque proprium habet excellentiæ characterem quo ab aliis diſcrepet, & demus habeat, addamúſque his alias præſtantiorum naturarum, quæ condi valent à præpotente Deo claſſes infinitas; diuina iis longè omnibus prominet,in cuius nos gremium,& ſocietatem ius præcipuum gratiæ aſſumit,& diuino perinde ordini inſcribit vt palmam in viuentium gradum; inter ſentientia leonem videmus inſertos; quod pondus inopinatæ dignitatis ſi vni tantummodò animæ inter tot myriadas hominum impoſuiſſet Deus, infuſo in eam ſuæ gratiæ theſaurò, naturæ totius pulchritudinem obſcuraret, ac tum omnes mortales, tum mentes illas à concretione

cretione corporis liberas in ſui admirationem, & adorationem verteret vniuerſas. Quî fit itaque nunc vt idem hoc boni, ſed fuſum latius tam flocci pendamus, & quò eſt Deus in nos profuſior, hoc ſimus in illum ſordidius parci? vt emptis ingenti labore auríque pondere titulis, conſortia procerum, ambitio affectet, hoc Dei conſortium negligat? vt in ſanctioribus conſiliis ſolitos regibus aſſidere, ſi loco moueantur, dedecoris impatientia extinguat; nos, ah! ſæuam iacturam & immedicabilem honori noſtro plagam! tepidè moueat, Dei non dicam conſiliis, & affatu, ſed naturâ & genere excidiſſe? vt teſte confictо impetitus claritatis auitæ nitor crudelem in modum nos diſtrahat; verâ peccati maculâ fœdatus, nobilitatis diuinæ hic ſplendor non lancinet, agâtque in mille potius vulnera & mortes, quàm vt eam eluere maculam differamus; ſpernit ipſum profectò Deum, qui hoc ipſius bonitatis, ac diuinitatis conſortium negligit; proiecti honoris, famæ, iudicij, ſui hoſtis, Deíque capitaliſſimus.

Adde quod cæteros honores cudit opinio, non res ipſa; gratiæ dignitas, non vulgi ſomniis, non cenſu prudentum, regumve arbitrio, ſed re ipsâ, ſuapte præſtantiâ, vltróque manantibus ex ea dotibus ſuam per ſe obtinet dignitatem, quâ mentem Deo ſimilem efficit, atque vt loquitur S. Theologus: *Quod ſubſtantialiter eſt in Deo, accidentaliter fit in animâ participante diuinam bonitatem.* Huius noſtræ gloriæ arcano lucem viri ſancti variam accer- 2. 1.2.q. 110.a.2. ad 2

ſunt: Athanaſius à balſamo, & ambrâ ſuam illic ſpargentibus ſuaueolentem fragrantiam, vbi eſſe per ſeſe deſierint; idem cum Apoſtolo ſanctus, à ſigillo figuram ſui ceris docilibus imprimente; S. Thomas, ab rudi, frigido, nigrante, informi, & ignauo ferro ſed vi caloris in ignem ſic mutato, vt ſeruatâ ferri ſubſtantiâ, fiat lucidum, ardens, ductile, actuoſiſſimum; qui norit (quem verò id latet?) quid Deus ab igne diſcrepet, intelliget facilè quid interſit inter animam ardore gratiæ in Deum transformatam, & ferrum concretis imbutum, tenacibúſque flammis, quo tamen nihil poſſet curioſius ſpectari, niſi conſuetudine viluiſſet. Si cui tam ſit procliue celeritatem animi quâ viget Angelus adipiſci, quàm pronum eſt gratiam augere, opinor illam opportunitatem nec mora nec tædio corrumpat; nimium dico dum Angelum memoro, abiectioribus etiam dementamur, velocitate cerui, leonis robore, & huiuſmodi genuinis animantium viribus, ſi obtentu faciles ponantur; & ô pudorem non ferendum! diuinæ collegium naturæ, ortáſque ex eâ dotes eximias conatu leuiſſimo aſſequi detrectamus, ô ſenſum mendacem, & perfidum! vbi mens, vbi religio, & Chriſti fides? Ponamus in vnum quempiam, à Deo coniectum quicquid vſquam in rebus conditis excellit, ſit acutior liberis mentibus, Elephanto neruoſior, formoſior aurorâ & floribus; ſole ſplendidior; hæc ſi aleæ iactui committat, imò belluinâ & turpi eſcâ, dementior, conficiat, quis abſurditatem ingratiſſimi ſceleris non

Lib. ad Serapionem de Spir.

1. 2. q. 112. a. 1.

non horreſcat? & ſunt hæ puerorum nuces; vti Samſonis quoque robur mirabile; quo mirabilior eius ſtultitia videtur quæ illud fictis mulierculæ lacrymis prodendum credidit. At diuinitatis cognatio, at diuinarum communicatio virtutum, pulpæ huic fœtenti, putredinis filiæ, forori, matríque vermium prodita; at imperium. Hîc ſtylus concidit tam triſti, quotidianóque argumento: Flete Angeli pacis, ſi quid vobis lacrymarum eſt, miſerorum fratrum crudelia in ſeipſos perpetuáque deliria, & tantorum bonorum indigniſſimam profanationem.

Quibus verò mens oculatior, & ſanior animus, ſpectent, mirentur, ac reuereantur dignitatem ſuam, eiúſque autorem tot patrem luminum toto amore complectantur; ſtellis certè ſi detur aliquis pulchritudinis ſuæ ſenſus, quanta mox erga ſuum ſolem veneratio, amórque inardeſcat, cuius ſe vnius diuites opibus, ſuſpiciendas luce, ſimilitudine admirandas amabiléſque aduerterint? amat ſtipitem ſanguinis ſui, princeps; ſenator, ordinis principem; filius patrem, ſi modò filius; & quiſque ſimilem; contra hos naturæ ac iuris legitimos impetus cur pro ſenſuum voluptate ac tyrannide pugnamus; efferat ſeſe ſupra hominem totum Chriſtianus, ſuíque meminerit; rideat omnia in quibus mortales ſpebus magnis deſudant, palatia, tabulas, ſigna, gemmarum, aurique copiam quaſi crepundia, in quibus pueri magno molimine, ac multum ſeriò adlaborant: hominem Plato miraculum dixit; in Theat. 3.
medullam

medullam rerum Protagoras: Plotinus formoſiſſimum operum; diuinum animal cæleſtibus aut par, aut melius Triſmegiſtus, feremus ſcilicet Christiani de fragili, nudóque homine ſenſiſſe altiùs cæcos ſceleratóſque philoſophos, quàm de Christiano ſentiamus & coli adorarique illum voluiſſe, dum ſacroſanctum ac regale Chriſtiani decus pro lixâ in nobis, & quadrupede tractamus? Peto, inquit, B. Chryſoſtomus, ac demiſsè rogo, ne patiamur ſingularia Dei dona (in nos Chriſti gratiâ effuſa) negligentiæ noſtræ crimen, & criminis pœnam ſui amplitudine augere.

In Pimand. c. 10.

CAPVT VIII.

Quàm ſublimi gradu naturam diuinam participet gratia.

1. EA eſt prærogatiua gratiæ hominem Deo inſerentis vt perſtringi non poſſit ſolitâ breuitate; ac iſta quidem participatio, non eſt, vt Theologi docent, intelligenda vulgari modo, rebúſque cum cæteris communi, atque vt vocant, eminenter; ſed præſtantiſſimo & ſummo, in quo cum gratia dotes poſſidemus non quas modò inuoluit efficientiæ ſuæ poteſtate ſupremâ diuinitas, ſed quas habet expreſſas, & quibus nuſquam poteſt quicquam ineſſe quod eius dedeceat maieſtatem: ſic ſe in metalla Sol diuidit, tribuítque ſubiecta in corpora

varias facultates non quas habet re ipsâ & diſtinctas, ſed quas actuosâ vi ſuâ continet, efficítque; lucem verò, ſplendorem, flammas, calorem, ſpeciem quâ mundum recreat, cum ſtellis partitur, non qualia ipſe fœcundo potentiæ ſecreto conclùdit, ſed qualia palam re vera perpetuò gerit, nec efficiēdo tantùm quæ ab ſe ſunt diuerſa, ſed communicando propria. Quo præcellenti modo, eorum in partem iure gratiæ venimus, quæ ſunt naturæ diuinæ propria, eámque mirabilem, vnicam perfectiſſimam; excellentiſſimam, pulcherrimam oſtendunt, eíque vt è ſcholâ loquamur, formaliter & ſeipſis inſunt.

Ioan. Vincen relect. de g:a. Chriſti Albeda 1 p.d.2 n.10.&c 2.

Quàm porrò iſtorum portionem ſecum nobis gratia inferat, diuerſorum eſt diuerſa ſententia: putant multi nos in eo euadere diuinitatis ſummæ participes, quòd, vt verè illa & neceſſariò exiſtit, nec aliundè exiſtendi ſuſpenſas habet rationes, ita vi gratiæ nos ſimiliter exiſtamus. Qui cum in Deo fons vnicus omnium voluntarius bonorum, rerúmque ſit; nihil verò propriè exiſtat præter Deum, ex quo vt eſſe poſſint precariò habeñt; ſic planè ad gratiam computantur pro nihilo omnia; diſtántque ab illa tantùm, quantùm quæ non ſunt à præſtantiſſimis naturis. Moyſi nequibat incomprehenſa diuinitas melius exponi, quàm cum Dei nomen roganti reſponſum eſt. *Ego ſum, qui ſum,* hoc eſt à me vno & ſolus, & ſemper: ex quo vno volente, iubentéque ſuis temporibus ſingula; extra quem, & ſine quo nulla. Vt igitur nihil ſunt, nihilíque à nobis, fieri

E debent

debent vniuerſa cum Deo compoſita verè ac ſolidè exiſtenti; haud ſecùs, ſi cum gratiâ componantur, per quam vnam id adipiſcimur, vt in Deo verè, ſolidéque exiſtamus, debent pro meris inaniis haberi; nugæ ac nihil voluptates, diuitiæ, honores, dolor, inopia, contumeliæ, nugæ omnia, & nihil omnia, etiam pleraque nihilo peiora; nec vllius aut boni, aut mali ducenda ratio, quoties de gratiæ paratu, conſeruatione, ac profectibus deliberatio mouetur. Quò alluſiſſe videtur Apoſtolus cum ait, *Gratiâ Dei ſum id quod ſum*, illâ nempe diuinè exiſtendi prærogatiuâ ſingulari, quam ſpretis natalibus, ciuitate Romanâ, ingenio, doctrinâ, honoribus, & famâ, ſolam rebatur expetendam, cætera verò, ſéque adeò ipſum, *ſi charitatem non haberet, nihil eſſe*: Illam verò *ſanctis qui ſunt in Epheſo* eiuſdem ſalutationem, lectam à maioribus notat S. Baſilius abſque vrbis illius, aut loci mentione *ſanctis qui ſunt*, quam item is negat in antiquis codicibus reperiri: & in illo ad Galatas, *qui Chriſti ſunt carnem ſuam crucifixerunt*, omittit B. Hieronymus Chriſti nomen, legitque tantummodò *qui ſunt*: ſolos eſſe innuens quos gratiæ ſanctitas cum Deo ſociat; alios eſſe *quaſi non ſint* quòd ei qui ſolus eſt, ſcelere ſuo perierint, vnde ſe illos neſcire aſſerit, etſi eorum quę ſunt, fugere ipſum nihil poteſt: Explicat autem princeps Theologus *ex eo gratiam creari, quod ſecundum ipſam homines creentur, hoc eſt in nouo eſſe conſtituantur ex nihilo, nimirum ex non meritis, ſecundum illud ad Epheſios,*

1. Cor. 15. Ioan. Vincent & alij.

1. Cor. 13.

Eph. 1.

Lib. 2. contra Eunom.

Gal. 5.

in Abd.

1. 2 q. 110. a. 2. ad 3.

ſios, creati in Chriſto IESV in operibus bonis.

Dicant hîc quos furens ambitio, quos libido inſana, & quoduis aliud facinus egit tranſuerſos à gratia, quî poſſint poſt damna rei tantæ vitam ſibi vitalem credere; quo pacto doloris rabie non rumpantur, ſéque ipſos vnguibus, dentibúſque diſcerpant. An potentiſſimum principem ſuâ inertiâ, & imprudentiâ florentiſſimis exutum regnis, & ægrè cum mendicabuli centone ex hoſtium manibus nudum, & profugum, nullo præterea vitæ ſubſidio, negabunt funditùs periiſſe, neque deinceps exiſtere? Tanti videlicet apud ipſos erit Iobi teſta, & in fimo lectus, vt parum ex vero dictum putent illum omnia perdidiſſe? & hic illos caſus, cum poſt tot annorum millia horrore confundat, immaniores ſuos & damnoſiores necdum attendunt amentes, aut ſentiunt, quibus ex diuini conſortij ſummo gradu in nihilum miſerè proruerunt, neque intelligunt eſſe multò deteſtabilius nunquàm extitiſſe, aut in lucem productum in primogenias nihili tenebras illicò diſſolui. Fatuè profectò petitiones declinant ſummam fortè cutem fortunarum, vitæque perſtricturas, & toto pectore ictus excipiunt diuinæ huic vitæ quam confert gratia, æternum lethales, vltróque pectus in illos induunt, dum lucelli, & fumi ſtudio in Dei offenſam rapiuntur. Nos quibus lux melior affulſit macti damnis illorum ſimus; & cum nullis ij parcant ſumptibus, ſeruituti, ac periculis, vt in blanda & ſplendida, tametſi maiora, ſcandant pericula, pudeat nos opellæ 3.

E 2 parcere,

parcere, quâ, ſublato in cælum animo, precando, dormiendo etiam & edendo, ac demum vbique acceptam gratiam incrementis ditemus, benè alioqui iacturâ qualibet cruciatúque comparandis.

CAPVT IX.

Cum naturæ diuinæ conſortio, perfectionem abſolutiſſimam nobis per gratiam conferri.

1. DIgnitatem affuſæ homini, cum Chriſti gratiâ naturæ parum habent diuina oracula, ita omnibus præferre, quaſi eius comparatione, ne ſint quidem propriè cætera, ipſa vna exiſtat: verùm modis innumeris ac miris gratiâ præditos nullum finem faciunt celebrandi: reos contrà proiectæ gratiæ deprimendi; hos enim paleam iumentorum, ignísque pabulum; glumam & puluerem, ventorum ludibria; vermes, ſtercora, baſiliſcos & mortem, hominum videlicet odia, & horrorem vocant; hoc nihilominus deteriora his notis innuendo, quò materiam excedit ſpiritus. Gratiæ verò maieſtati, regni nomen & vitæ, & gloriæ, nec eius vulgaris, ſed perpetuæ, immenſæ, ſempiternæ attribuunt, quibus aiunt quos ante laudauimus, ſignificari, probis cum gratiâ nouam indi non modò naturam quâ verè cum Deo & in Deo exiſtant, ſed diuinæ illius naturæ multiplicem

Rom. 3. 2. Cor. 1 Epheſ. 1. Pſal. 29. Iud. 15. Iob 19. Hebr. 1.

tiplicem perfectionem plenâ manu in eos congeri, vt quemadmodum Dei natura eſt non ſolùm vt exiſtat, ſed eorum quæ ſunt vel eſſe cum fœcundâ illius potentiâ valent, bonitatem, præſtantiamque contineat; ſic vtriuſque ſint probi viri Dei gratiâ conſortes, naturæ, inquam mirabiliter exiſtendo; & perfectionis, incredibiles eiuſdem naturæ diuitias poſſidendo.

Quarum tamen, niſi obiter ſaltem, circumferatur eximia pompa, vix earum poſſit communicationis pretium iniri. Age itaque Dei capax, & conſors animæ, ac teipſo maior, admirabilitatis eius infinitatem contemplare; naturam præ quâ nihil eſt quidquid eſt, potentiam & ſapientiam, præ quibus infirma ſtultáque omnia: maieſtatem, ex qua tot emicant radij, quot pulchritudines, dignitatéſque ſuſpicimus. Mirare huius architectum, tam vaſti orbis & varij, voluntatis nutum; nec effœtum hoc partu, ſed infinitis mundorum ſimilium condendis millibus parem ac maiorem. Eumdem abſque vi moles ſuperiorum corporum tantas, vt ſtellæ aliquot (eorum apices) octies centies terræ globo, & aquæ maiores ſint, verſantem; influxúque in ſubiecta innumerabili animantem; abſque ſui motu mouentem omnia, diſpenſantem cauſas, elementa digerentem, ventos, plantas, metalla, fontes, planetarum errores, animantium ſenſus, mortalium, & immortalium intelligentiam ſuis è theſauris proferentem; mirare naturam omnia exiſtentem, nihil tamen ex omnibus, vtpotè iis 2.

meliorem & excelſiorem; cui ardent Seraphim, ſuccumbunt throni, beatæ mentes pronis obſequiis inexplicabili gaudio famulantur, damnatæ, horribili rabie coactis. His itaque & toto perfectionis diuinæ apparatu, cultúque cingitur qui Chriſti gratiam induit, &, ô prodigum amorem! tota conditoris magnificentiâ, ſplendore, & purpurâ ornatur; hanc intelligunt in ſacris literis viri doctiſſimi, per Dei regnum quod appropinquauit; quod intra nos eſt, quod præ omnibus quærendum, & in quod ſumus ex poteſtate tenebrarum à Deo tranſlati; ſignificantiùs etiam per ſemen Dei, cùm fructus, arboríſque vigor, & bonitas, tota in ſemine deliteſcat; ac denique per æternam vitam, quâ S. Paulus appellatione Dei gratiam vocauit; vt enim mors eſt eius priuatio, peiúſque naturam deſtruit quàm ſi ſuum in nihilum ageret: ſic vita dicitur æterna, poſſeſſio gratiæ, quod per illam exiſtat animus modo quodam diuino, omníque perfectione abſoluto.

3. Adeſte nunc, ô qui ventum, & lutum bibitis, curuæ in terram animæ, Deíque inanes: metalla hûc veſtra & ſupellectilem ſaxeam, quâ intumeſcitis proferte; auráſque quibus tanquam Appulæ canes inhiatis, & hæc cum vnicâ gratiæ gemmâ comparate; coloris cuiuſnam eſt hic honos ad quem impetu cæco anhelatis, cuius figuræ, naturæ, efficacitatis? cùm ne exiſtat quidem vſquam, niſi in opinionibus alienis fallacium pariter ac delirantium: Hæc autem, ah infœlix error! ſomniantium chimera; hoc è fumo & nebulâ Idolum pro
Deo

Deo colitur, quod fingi verè, prehendi ſolidè, teneri diutiùs non poteſt: Quod æternum exiſtit, beatum, procliue, gratuitum, cæleſte, quod animum implet immortalem, & vaſtum diuinitatis dotibus & excellentiâ; quod eſt æterni ad gloriam ponderis, nec poteſt nolenti eripi, nec decerpi, proh dolor! negligitur, abiicitur etiam, & calcatur, fortunas verò non ſui præſtantia, de quâ & vermibus & culicibus concedunt, ſed opinioſa hominum imaginatio, vel malitia indicat; aufert caſus, ſcelus, mors, vſus ipſe, nec verò niſi cum decedunt, habenti proſunt, etſi ſæpe illum abſentes, vel poſſeſſæ perdunt. Te fixum per te, perpetuum, ſtabile, incorruptum bonum, pretioſiſſimam, ſuauiſſimam, opulentiſſimam gratiam, cui parens Deus tametſi affatim ſeipſa contentæ oppignerauit reliqua omnia quæ nos ſui deſideriis fatigant; Te, inquam, miſeri, & iis poſtponunt diuitiarum vmbris atque nominibus; & non rarò ab ſeſe, ah nefariam pactionem! auferri nuce putida patiuntur. Voluptates demum non hominum magis quàm pecudum, turpiſſimas, breuiſſimas, admodùm exiles, ſexcentis præuias, ſubſequas, & interpunctas cruciatibus, mentis intimos ſinus tenaci morſu depopulantibus; non pudet, inſani! cum gratiâ conferre deliciarum æternarum, ac puriſſimarum immortali arbitrâ & parente? non pudet commiſſione tam iniquâ Deóque iniuriâ, Dei ſacrarium hominis animam temerare? Auerſata eſt antiquitas omnis Lyſimachum, frigidæ potum toto imperio licentem; ipſe ſuimet impatiens, hei

hei mihi! Quantum regnum, inquit, quantulò perdidi; Vos verò gratiam, regnis, cælóque optabiliorem probroſiſſimâ mercedulâ proditam, quo luctu dignè proſequi debetis, qui magno delectu, rerum viliſſima, & fœdiſſima, maximéque euanida in ſcopum votorum quæritis.

CAPVT X.

Hominem gratiâ in gradu puriſſimo, liberrimóque conſtitui cui diuinæ aſpectus gloriæ debetur.

1. Suar. l. 7. de grat. c. 1. n. 30 Turria. opuſ. c. 3 diſp. 1. dub. 9. Curiel. 12. q. 110 a. 3 dub. 1. §. 20. Cap. 21. 1. Cor. 4

HOc, cenſent vulgò Theologi, etſi verbis fortaſſe diſſentiant, atque vti naturæ auium volatus, velocitas ceruis, homini facultas ratiocinandi; ita gratiæ deberi, vt Deum videat, & Deo fruatur. Quare illam ſcitè Apoſtolus *gloriæ pondus* vocauerit, quippe quæ gloriam velut centrum lapis, naturæ inſtinctu ſibi reddi petat. Nam Apoſtoli verba interpretatur B. Diadocus, non de coronatæ, ſed de militantis gratiæ gloriâ, cùm enim dixiſſet, *quamuis homo exterior corrumpatur, de die in diem, interiorem renouari*; haud certè in cælo, à quo aberunt hæc quotidiana incrementa, mox adiecit. *Quod enim momentaneum eſt, ac leue tribulationis noſtræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Hoc eſt, charitatem, & gratiam, æternis gloriæ præmiis auctoratam; pro qua breuiſſima,

breuiſſima, & leuiſſima eſt quantacunque laborum perpeſſio: pondus enim eſt, æquali gloria rependendum, quo deſtitutus infœlix Baltazar deprehenſus eſt *minus habens*: Pondus eſt eleuans quamlibet ſarcinam execrabilium ſcelerum talento etiam Babylonico grauiorem; perexiguâ gratiæ atomo præponderante immanitati criminum, & pœnarum, quibus damnatæ flammis animæ degrauantur; cælíque aditum validiore machina reſerante, quàm poſſit eâ tot flagitiorum mole adamantinâ occludi. Pondus eſt minimis noſtrorum operum valorem addens, cui fœlix æternitas debeatur, magna res gratia per ſeſe, magna ob ſibi addictam gloriam: Itaque dilectus diſcipulus, *nunc*, inquit, *filij Dei ſumus*, gratiæ nimirum beneficio, & quaſi hoc leue ſit, reſtare indicat vlteriùs aliquid & nondum apparuiſſe quid futuri ſimus: *Scimus quoniam cum apparuerit ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt*, cuius beatiſſimi aſpectus tyrocinium eſt, pignúſque certiſſimum ac principiũ gratia, (quæ eſt fermè explicatio S. Auguſtini.) nos enim quodammodo conſanguineos Deo facit, ſocios menſæ, regníque collegas, & niſi eadem aliunde nobis adueniret, auſim cum grauiſſimis Theologis dicere etiam Deos facit: Inde hoc gratiæ tam amplo ad gloriam iure, beatum ſe retur, vocátque Rex vates etiamnum viuens: *Beatus vir qui non abiit in conſilio impiorum: Quid plus potuit homini donari*, ait B. Ambroſius; *quam quo nihil amplius potuit Deo Apoſtolica auctoritate deferri? beatus enim & ſolus po-*

Ep. 112. & 112. l. 22. Ciuit. c. 29

Curſ. Theol. Carmel. 1. p. tr. 1. de viſ. diſp. 3. dub. 2. §. 3.

F *tens;*

tens, & Rex Regum, & Dominantium dominus dictus eſt; ille ſolus potens, ille Rex Regum: ille Dominus dominantium, beatitudinis tamen non ſupergreditur poteſtatem, donauit nobis appellationis eius conſortium, quæ digna æſtimata eſt honore diuino. Et Deum quidem non ſatis exprimit; vocans aut Dominum, aut Regem, niſi, Dominorum, aut Regum, adiungat, *beatum* nominans abundè ſe dixiſſe credidit; hoc verò ſibi præcipuum nomen & longè cariſſimum (causámque nominis) commune nobis per gratiam diuina bonitas fieri voluit: Nos illud, qua curâ & operâ, quibus ſtudiis & contentione conſeruamus, quàm honorificè gerimus, & implemus? Nobilitatis antiquæ titulus, ditionis auitæ inſtrumentum, ius primarium clientelæ, quot litibus, prçliis, ſumptibus, quàm multo ſanguine vindicatur? paterni ius ſceptri, & felicitati hereditariæ, iniquiſſimis conditionibus permutamus, & proſtituimus? ô ſolers ferri, & argillæ! vnionum, & auri ſegnis & barde ratiocinator! pone calculum ſis, & vide, quàm rectè principatus iura, & ſummæ titulos poteſtatis (quandóque fortaſſis ad te reditura) interea rerum compenſari tibi exiſtimes, ludi puerilis, aut ſcurrilis ioci oblectamento ridiculo & fugaci; dubiis ſpebus, & obſcuris manifeſta damna eáque certiſſima; beatitatis certæ certum exitium, lutulento, fluxóque gaudio, eius repetendæ impotenti fiduciâ ſubnixo. Cur diſſimilibus oculis metimur, æqualiter nobis ad ſalutem, & interitum exploranda; in quiſquiliis & glandibus cati & ſagaces,

agaces; in æternitatis noſtræ negotio ſocor-
es & temerarij : Quis regni certus amittendi,
 ſe præceps in puteum dederit, furori obſe-
uatur ſuo, ſpe tantum leui alicuius auxilij
uo ſit inde ab hoſte capitaliſſimo extrahen-
us? Extraxit, fateor, miſericors bonitas ex illo
eccati barathro complures ſibi perinfenſos,
naximéque inuiſos : at quàm multos in eo,
ui lapſus æternitati, tum reliquit, tum reli-
tura eſt? manus tibi violentas inferre non du-
itas, quod ſcias aliquot à Chriſto in vitam
eſtitutos? ô portentoſam deſperationem!
Demus ita futurum, rediturúmque te poſtli-
ninio in iura priſtina, & filij nomen; ſed quis
rbi datus Imperator, vel horam ſuſtineat, re-
ulsâ coronâ, ſceptro & annulo, nudus planè,
c luto conſperſus luce palam ignominiosè in
culis Principum, plebiſque inſultabundæ
ircumduci? Tu Angelorum, Deíque oculos,
s abominandus, & execrabilis ſubire audebis?
Tu ſemper felix miſer ne victurus ſis, ſorti
ommittere? miſce peritius aleam ô ſtulte!
actum cautius præpara? & metire: inter ſempi-
erna gaudia & tormenta ludis, alterutri ne-
eſſariò addicendus; Nam

Duo nobis cum gratia pereunt : Alterum 2.
s conſtat bonis quæ ſecum nobis gratia dona-
at, nempe vt eſſemus puriſſimæ, nobilis, excel-
e, ac diuinæ conſortes naturæ, cui debetur
terna beatitas; Alterum, hæc ipſa futura
eatitas, quam tanti intereſt in tutum ſubdu-
ere, vt contremiſcere nos totis artubus ſit ne-
eſſe, cùm cogitatur poſſe aliquo caſu nobis
F 2 excidere.

excidere. Huius magnitudinem verbis tribus depingit B. Ioannes paulò antè allatis, cùm ait, tunc (Deo nimirum cùm frui cœperimus) futuros nos illi ſimiles; quòd ſimus eum, ſicuti verè eſt, viſuri: Eſt enim illa felicitas, ſummi boni perfecta, plenáque poſſeſſio, ac velut vſusfructus infinitæ præſtantiæ, ſapientiæ, poteſtatis, iuſtitiæ, immenſitatis Dei, quibus gaudebimus, vt gaudet ipſemet (cuius propriæ ſunt) ac fruitur Deus; quo poſſeſſionis vsúſque titulo beatos meritò ſacræ literæ appellant quos Dei gratia exornat, parum enim refert dominium; ſit modò ſecurum rei fruendæ ius; præſtátque mancipio, conſtans & perpetuus vſusfructus: Itaque ſi poſſe fingamus, in hominem cadere ſummam potentiam, ſapientiam ſummam, ſummáſque alias Dei dotes ſeclusâ gratiâ; ſic tamen vt illis non fruatur, futuri ſunt illo beatiores qui eo quod dicimus vtuntur illarum fruendarum iure, quo nihil poteſt maius à Deo concedi. O fructum gratiæ diuitem, & exuberantem! etſi reliquis illam quæ illi aſſerimus antea ponamus eſſe deſtitutam donis; ô conditionem gratiæ felicitate ipsâ beatorum ardentiùs, ac perſeuerantiùs expetendam?

3. Hoc agamus ingentibus animis, huic inſudemus, impalleſcamus, ac, ſi neceſſe eſt, immoriamur vni, vt eã nobis aſſeramus in dies fortiùs, & ſtabiliamus, magniſque acceſſionibus cumulemus? beneficiũ priuatæ legis valde ſingulare, censúſque maximi, Pontificio diplomate ac Regio firmum, nouis tamen ſubinde autoritatibus ſuccedentium Principum, & iure-
iurando

iurando corroborari cernimus incredibili ambitu, nullâ occaſione prætermiſsâ eius vel ſanciendi, vel amplificandi; Quo pacto igitur prærogatiuæ huius, & diuinitatis vſumfructum, fulcire nobis, crebritate ſanctorum operum conſtanti, aſſiduáque negligimus. Monet enim præclarè Guillelmus Pariſienſis, gratiam bonis operibus, (eſto, minimè ſemper augeatur) confirmari tamen & radices altius mittere; qui nos tepor, aut frigus potius, facit in deſideranda gratia tam lentos, cuius Paulus, & Moyſes, ſanctique alij quàm beatitatis æternæ votis vehementiùs æſtuarunt: pudet referre quod ſequitur, & maligno ex hoſte boni officij exemplum ſumere. Interrogatus olim in arreptitio cacodæmon quanti emptam vellet Deum videndi poteſtatem? cunctis ſe reſpondit ignibus, & cruciatibus damnatorum ad vſque diem decretorij iudicij vltimum perferendis, bene ac libenter empturum, vt Deum poſſet ad tempus breuiſſimum intueri; nos vt æternum intueamur & fruamur, piget, heu! breuiſſimâ patientiâ emere, non piget fœdiſſimo gaudio perdere. Claudo non abſimili reſponſo quod à Cæſario memoratur, quærenti enim ſimiliter, quo labore, quibuſue impenſis amiſſam dignitatem propensè reciperet; per ignitam ex ferro columnam, & nouaculis horrentem, inquit dæmon humano indutus corpore, iter in cælum è terrâ molirer, cæſiſque ſæpius dirutus, & excuſſus membris in cœpto pergerem, conatúſque illos dum ſtaret mundus cupidiſſimè integrarem, ſi ſpe ſaltem ali-

Tract. de mer. circa med.

ThCantip.l.2.c.57.n.67

qua teneter priſtini ſtatus redimendi; & erat is ſtatus duntaxat gratiæ, non autem gloriæ; Nos certiori ſpe, in Sacramentis impetrandam, quâ diligentiâ petimus? certiore fiduciâ in iis partam, quo mentis robore, quâ virtutis omnis contentione retinemus? Ah, libet hic, libet cum S. Bernardo exclamare. Hic vre, hîc ſeca, vt in æternum parcas.

CAPVT XI.

Fieri homines diuinâ gratiâ ſanctitatis Dei, bonitatiſque participes.

1. *3. p. q. 3. a 4. ad 3. 1 2. q. 11 a 2. ad 2. Ioan. Mart. Ripalda tr. de grat. diſp. 2. ſect. 1. Iſa. 6. Apoc. 4.*

VEreor hoc dono gratiæ, quam cum S. Th. aliiſque Doctoribus laudamus, quæ ante diximus fortaſſe minora videantur; magnum eſt naturam & miracula omnia infra ſe cernere; quâ plenitudine, excelſitatéque exiſtit Deus, eâdem ſub Deo exiſtere; felicis initium immortalitatis & radicem tenere; at cùm in Deo ſanctitate ipſius nihil magis emineat, plus eſt huius in partem bonitatis, & ſanctimoniæ veniſſe. In illa oraculi duplici miris coloribus depicta maieſtatis ſummæ adorabili pompâ; Dei ſedes altiùs extructa, ſupremum imperium innuebat; ſubſtrata ſedi Iaſpis ſecuritatem fixam mutabilitatis neſciam; æternitatem, iris; ſapientiam ſolia viginti quatuor totidem ſeniorum; lampades ſeptem, vniuerſorum prouidentiam; Tonitrua & fulgura, voluntatem

luntatem omnium potentem; immenſitatem mare vitreum, omnia complexam; capitis, pedúmque alis obtenſis velamina, infinitatem Dei, vt S. Cyrillus explicat. Verùm in hac laudum tam admirandarum multitudine Seraphinos quanquam mille oculis vigiles & attentos, nihil æquè percellit vt ſanctitas, ad hanc hærent ſuſpenſi, hanc celebrant, & magnis vocibus nunquam intermiſſo triſagio, ſanctum ſanctum ſanctum alternis deprædicāt: & decet hic Deum in Sion ſanctitatis hymnus; de cæteris laudibus legi pſalmus poteſt vt habet S. Hieronymus, ſilet ad te laus Deus in Sion. Decet hæc eadem ſanctitas domum Dei, vt poſt eximia decora regnanti Deo attributa, concludit Rex Vates; ob hoc ſe toties ſanctum Iſraëlis nominat; hac bonitatis appellatione cæteras colligens; & increatam verbi generationem, tacitis aliis quas ſecum filio contulit dotibus, in ſplendoribus ſanctitatis ab ſe prodire gloriatur, vel, vt habent Hebræa, ſanctitatum, quòd ſancta ſit natura diuina, ſcientia, potentia, veritas, omniáque in Deo ſancta.

Hanc ergo, ſit verbo hic locus, impecabilitatem ſuam Deus, bonitatem ac fontem ſanctorum operum, ſuíque capitis coronam præcipuam beneficio gratiæ nobiſcum partitur, cuius boni exinde peculiaris dignitas elucet, quod reliqua ex Deo habent res ſingulæ intra naturæ ſuæ metas, vitam, intellectum, doctrinam, immenſitatem; vnius gratiæ ſingularis eſt laus, vt naturæ fines prætervecta, diuinæ 2.

fiat

fiat particeps ſanctitatis; illas liberarum mentium ſupremas, facit natura propria viuentes, intelligentes, expertes concretionis corporeæ: bonas, ſanctáſque omnino non facit; vnus eſt Deus naturâ ſuâ ſanctus, nemo bonus niſi ille ſolus, & hanc propterea ſanctitatem, acclamatione, apparatúque tanto adorant & mirantur, vt quam nec capiunt, nec poſſunt naturæ conatibus conſequi; vnde quod notat S. Baſilius, contractis pennis tremore concuſſi Sancti nomen ſat habent, víxque audent proferre, & quem comprehendere non valent, ardent pretioſis amoribus venerari, eò alis duabus oculos obnubunt, duabus autem è cordis arcano extantibus volant. Adde quod dictum eſt, in illo maieſtatis quem retulimus ſplendore, quæ ſub Deo erant impleſſe templum rectè de gratia accipi ſub Deo proximè conſtituta, eiúſque trabeæ veluti fimbria, & ſanctimoniæ participatione, quæ vna templum illud implet in quod poteſt aditus patere nemini niſi gratia decorato.

3. Quânam igitur noſtra in nos ipſos, atque in Deum iniuriâ, quod habet natura diuina, quod inde noſtra participat, primariâ dignum æſtimatione minimi æſtimamus? nihil ſtupent in Deo beatiſſimi ſpiritus, præ magnificentiâ ſanctitatis, cuius eſt radius gratia: ægrè aliud in terris exilius cernimus, ægrè ad illam, ah cæci! reſpicimus, ægrè aduertimus; ad lutum & paleas, & piſcium ſquammas, tanquam ad gemmas, interea ſtupidi; Dominum ſemel, ter ſanctum concinunt, nos quicquam, præter dominia

dominia in anguſto & nihilo ſita, cogitare ac loqui neſcimus. O iudicia ſibi ac vero inimica! lectiſſimo nos ex penetralibus theſauris vnione, ex coronæ apice margarito, bonitate & ſanctimoniâ, Dei bonitas ornat ad honorem, & autoritatem; confeſtim reuulſum pelludamus, terimus, nec terræ ſaltem ac panno ſeruandum, ſed cœno perdendum atque conſpurcandum inuoluimus, nullâ eius deinceps, quantum in nobis eſt recuperandi facultate, idque tam ſiccâ, impudentique audaciâ vt lacrymam nobis, aut gemitum, nec atrocitas admiſſa, nec damni exprimat magnitudo; certè inertem illum otioſi talenti cuſtodem, aculeatâ obiurgatione publicè traductum, vincula, tenebræ, & lamenta, ſtridórque dentium irreuocabili pœnâ exceperunt. Quid ſi non modò ceſſator ſegnis, ſed proiectus dilapidator, ſed contemptor Domini & irriſor foret? Vult enim Dominus, quod tam carò nobis bene ab ſe parandum cenſuit, eſſe nobis cariſſimum; quod ſummè frugiferum effecit, ſummis lucris à nobis occupari; & qui ſanctus eſt, ſanctificari adhuc: parum eſt tenere, ſeruare, leuiter ſolùm attere; collocandum eſt, amplificandum eſt, exaggerandum eſt quæſtuoſiſſimis vſuris & incitatiſſimis deſideriis, cum ſine ſcelere, nequeat res tanta defendi languidiùs, æſtimari petique debiliùs. Ah! moueant illa Seraphinorum triſagia animi noſtri poſtes, & pertinacis ingenij cardines, vt toto pectore Deum admittamus, cætera omnia excludamus.

CAPVT XI.

Gratiam, iis quos inſederit, pro naturâ eſſe.

1. VArias huc vſque retulimus Doctorum explicationes, ſed nequaquam diuerſas, participantis naturam diuinam gratiæ; quibus vnum addo, de quo conuenit inter omnes, poſſeſſionem hanc diuinæ gratiæ, pro naturâ quadam bonis eſſe, ſiue, vt aliqui loquuntur, eſſe primigeniam rationem ac ſubſtantiam, quâ ſupra naturam exiſtunt; Vtque eſt forma, radíxque anima, à quâ primùm habemus vt homines ſimus, ex quâ deinde proprietates effloreſcunt, habilitatéſque homini debitæ, ita gratiam hanc veluti ſupernaturalem animæ noſtræ ſubſtantiam, conſequuntur neceſſariò ſupernaturales quædam facultates, quarum impulſu & adminiculo edimus opera humanis maiora, dignáque æternis præmiis, & diuina, quæ alioqui hominis viribus, nec ſuſcipi valent nec perfici; rei enim ſua cuique dat natura, vt in ſuo gradu exiſtat, agat ordine, habeátque inſtinctus & effectiones illi gradui, ac naturæ peculiares, & commodas; homini autem, vt ſit culpæ, miſeriis, & inconſtantiæ obnoxius, nec poſſit vllâ inſigni laude gloriari,
Hó. 32. niſi (quod ait S. Macarius) naturæ alterius cœleſtis communione attollatur, quàm idcirco ſalis & fermenti ſymbolo expreſſit, quæ vt integritatem

tegritatem, & ſaporem carnibus, & pani conciliant: ſic mentem diuinitatis ſale, ac ſancti Spiritus fermento vacuam, non fore à malitiæ veteris fatuitate, ac putredine immunem. Quod autem artes membra & animum ad fabricanda illa peragendáque fingunt, quibus ſine arte faciendis eſſet penitùs ineptus, eam ob rem S. Baſilius cum arte quoque gratiam contulit, tractandis muneribus nos aptantem quibus æterna vita comparatur, haud paulò ſanè mortali ab homulo magis alienis, quam volatus & garritus ab auiculis æneis, quas tamen egregius ille ſanctúſque Theoſophus Boëtius cudiſſe traditur artis præſidio volatiles, & canoras. Sed hanc magis ad viuum reddit Apoſtolus cæleſtem gratiæ naturam, terrenum hoc noſtrum ſibi vindicantem, inſitione oleaſtri in bonam, & feracem oliuam; ſic enim Deo nos gratia inſerens, non iam agreſtes baccas, fructúſque venenatos ſed ſalubres, planéque diuinos è nobis educit, immortalem vitam nobis parituros; ſic rotæ mobilem, ac vitæ ſpiritu vibrantem rotæ implexam, vt per ſe immobili, currum Dei æquo cum Angelis paſſu egiſſe deſcribit Ezechiel: ſic pernicitate aquilæ, coruſcãtis inſtar fulguris abreptã trium animalium tarditatem. O noſtram hoc tanto, tam ſingulari bono fortunatiſſimam naturam! quæ infirma, & humi afflicta, terreſtris, pronáque in omne facinus, gentilis peccati vitio abortiua, mortua & nullius aut frugis aut ſpei, inſinuante ſe illius medullis ſpiritu gratiæ, erigitur, fulcitur, corroboratur ad omne vir-

Hō. 24. de Spiritu S.

Caſſiod. lib. 1. Var. 45.

tutis officium, vitámque non deinceps vilem, aut humanam, ſed ſublimem, Deóque digniſſimam, & confuſione optabili cum gratiâ coaleſcens è terrenâ coagmentatur in cæleſtem, quam ob cauſam cæleſtis natura ab S. Macario gratia dicta eſt, & ab Apoſtolo, gratiâ præditus, nouæ creaturæ cæleſtiſque hominis nomenclatione inſignitur.

At hi ſunt colores emortui multò inferiores vero; cum extra ordinem plantarum neque aſſurgat oleaſter trunco inſitus pingui & frugifero; nec ſi fingamus ſole veſtitum hominem per cœli ſpatia decurrere, orbémque illuminare vniuerſum, dici ſat liquido is poſſit, in ſolis naturam tranſiiſſe; tantúmque diſtet, hæc licèt inuiſa, inauditáque mutatio ab eâ quam efficit gratia, quantum inter ipſam gratiam, & ſolem. His nihilominus figuris è concretione ductis corporeâ, docemur aliquam dignitatis partem, in quam homine melior natura nos excitat, cui per gratiam copulamur. Eius itaque nobis dignitatis formoſiſſimam ſpeciem dilectus diſcipulus obiecit, dum induxit amictam Sole mulierem, ſtellis coronatam, ac Lunæ inſiſtentem: hoc enim ferè, adeóque præſtantiori modo, animus è terra, & tenebris, cælo, ac luci ſublimis infertur, Deo vt ſic loquar, imbuitur, & vaneſcente mortis vmbrâ, ſplendore vndique coronatur; vnis ſcilicet afficitur, gaudet, incumbit cæleſtibus, cogitandis, & ſancto ambitu requirendis, ſolitus lutum, & paleas pro vitta regiâ oſtentare, vniſque infimis quaſi potiſſimis ſe iactare; humi

ſolitus,

ſolitus, atque infra humum cum belluis, & dæmonibus ſerpere, calcat ſublunarium viciſſitudines & fugas; ſterilis antea, partubus operum fœcundatur, promiſsâ felicitate, & hæreditariâ iam beatis; habilibus denique munitur, alitúrque præſidiis, in hac ſui exilij ſolitariâ ſtatione, aliàs homini nec planè debitis nec ad vſum aptis; Agnoſcat ſuos in huius ſpeculi cryſtallo vultus, ſeu Dei amicus, ſiue hoſtis cùm ſacramento doloris in amicitiam Dei, aut ſubit interius, aut recens admittitur; ſéque iam haudquaquam vt animal cogitet triſte, imbecillum, abiectum, ſed diuinum, Deóque altiùs coniunctum, quàm ſi cum ſtellis & Angelis cælum incoleret, eadémque luce radiaret. Inde igitur auerſetur, & ſpernat, quod inferius ſenſui, ac ſtultæ ſuperbiæ blanditur, ſéque indignum putet, quicquid eſt naturâ illâ minus & breuius, cuius ſortitus eſt maieſtatem: erubeſcat motus ab diuinis conditionibus auerſos, omníque ſtudio caueat, ne viſcatis inhærens vitæ prioris affectibus & curis, nouæ gratiæ afflatum diſſipet, obtundat impetum, pulchritudinem obſcuret. Cuius enim pudoris, aut impudentiæ eſt hominem Deo confeſſione ſacrâ reſtitutum, diuiníſque in poſterum moribus, homine poſito obſtrictum; ne ferinum quidem, quo tenebatur, deponere, ſed vitiorum gaudere affinitatibus, partíque oblitum honoris, putentem lumbricum antiqua ſanie geſtire; quanquam illum magis dedeceant deprauatæ naturæ vitia, quàm porcina indoles Seraphinorum pulcherrimum.

3. Hæc ſaltem à nobis corrigantur, malè prona in Dei offenſam, ſempérque in læuũ flectentia, animi noſtri mala ſi tantum iuuat humana retinere; nec enim gratiæ obſtat humana ratio per ſeſe, cùm ſit gratiæ omnis, eiúſque totius efficientiæ mirè capax; Illa, illa ſunt naturæ adſperſa diréque confixa flagitiorum dedecora, habitus contumaces, procliuitates in peiora, quæ ſacrilego reniſu aduerſus gratiam coniurant, eius elidunt neruos, ſuaſiones frangunt, efficacitatem emaſculant, & potentiſſimos bonitatis ſummæ in noſtram ſalutem, & gloriam conatus in noſtram proh dolor! extremam perniciem detorquent. O ſi nobis lux illa, & veritas adſit, quibus in arcana Dei penetralia ducimur, vt intelligamus, quot opes gratiæ, quantos ad cælum commeatus, quot auxilia, & iura, prauæ tantùm vnius affectionis peſtilitas cordi noſtro adflata perimit; hoc profectò rumpi centies malimus, quàm vt vel ſemel proculque aditum præbeat tam infando, & deteſtabili veneno; etſi enim pluſquam credi poſſit, animis nocent perturbationes quocunque tempore illos occuparint; ſed gratiæ compotes hoc priuatim toxico ſiderant, vt cæleſti prohibiti pabulo, quo erant æternis meritorum auctibus profecturi, ſenſimque inducta crudeli ſphacelo, in oſſa virtutum carie, miſerabiliter exareſcant.

CAPVT

CAPVT XIII.

Gratiam eſſe ſuo quodam modò infinitam,

HOc decus gratiæ tribuit, ſingularis quâ pollet, infinitæ naturæ participatio, ex quâ id nacta eſt, vt nec finem, nec modum ſuæ prouectionis vllum ferat, habent reliqua ſuas metas cuiuſque naturæ poſitas, ignis certo calore, nix frigore, proceritate certâ homo deſcribitur, & vitas corporibus carentes arctat ſuus quidam potentiæ circulus, extra quem præſtare nihil poſſunt; ſola eiuſmodi anguſtias ignorat gratia, ſola nullis limitibus clauditur, cúmque infiniti communione boni conſtet, ſola menſuræ expers nullis terminis definitur: & creſcat licet immenſum vndequaque fiátque in horas immenſis acceſſionibus ampla, & locuples, nunquam ſuæ naturæ tranſiliet lineas, vtpotè communis cum infinito Deo. Quid enim ait Theologiæ Angelus, vel vnde præfigat vllas charitati metas (eſtque de gratiâ, ſi ab charitate reipſa differt, validior ratio) cùm ortus ſuos ad cauſam in ſolidum referat, efficiendi poteſtate, ac diuturnitate infinitam; ipſa verò ſit infinitæ participatio ſanctitatis, nec per ſe vllis obnoxia finibus? Demum, excipiatur vaſe naturâ ſuâ arcto, & modico, ſed præ totâ naturâ diuinum in ordinem 1. 1.2.q.24 a.7.

nem ſemel vi gratiæ tranſlato, & poſt hoc infinitæ gratiæ capaci, priore gratiâ, poſteriori gradum infinitis adſcenſionibus parante; vnde B. Chryſoſtomus, carere limitibus gratiam, ſempérque vlteriùs tendere. Et vir doctiſſimus, potiori iure infinitam videri, quàm beatum lumen, in cuius ſplendore ſancti Deum vident, cum ſit eò longè excelſior, & per ſe ſpectata perfectior.

2. Iam quæro ad iſtam gratiæ tam anguſtæ, & incomprehenſæ maieſtatem, quid poſſit mortalis ſtoliditas abſque rubore, atque inſaniâ, infinitis ſpatiis opponere? quo pacto non omnia deſpuat, eradátque ex bonorum albo, quicquid infra Deum, & gratiam iacet? ſed illudi ſibi eius illecebris, tanquam merce legitimâ patiatur. O nos Andabatas, & ô deſideria noſtra cæca, infinito labore anhelantium ad minima, ſumma ſpernentium! Quoties te mundus, quem deperis, aut poſcentem, volens, turpiter repulit; aut hiantem fruſtratus eſt, interceſſionibus riualium; mutatâ fide ſpes tuas funditus euertens? nec breui, quam vnam apponit eſcâ, explere tot gurgites allatrantium canum valens? Quid illa, quæ ſuſpiras, bona, præter luti pauxillum, auare ſuggerunt? Quod, vt plurimum ſit, & quicquid poteſt terra tibi iucundum parere, plus inde certè non tuleris, quàm quod ſtomachus breuis, breue corpuſculum, vita breuiſſima ceperit; nullis diuitiis, vtendi ſpatia, menſurámque vtentium laxaturis. Confer, ſis, ac ſi parum pudet, hæc retrimenta futilium bonorum, cum immenſâ gratiæ dignitate,

dignitate, & vide, quàm deceat mille in iis vota conſumere, veris gratiæ bonis nullum reliquum facere. Qui magiſtratus fumum captant menſibus paucis difflabilem, *quas non ignobilitates veſtium affectant? Quæ non atria nocturnis & crudis ſalutationibus occupant? ad omnem occurſum maioris cuiuſque perſonæ decreſcentes, nullis conuiuiis celebres, nullis comeſſationibus congreges, ſed exules à libertatis, & lætitiæ felicitate; idque totum propter vnius anni volaticum gaudium. Nos, quod ſecurium, virgarúmque petitio ſuſtinet (addit Tertullianus) in periculo æternitatis tolerare dubitamus?* Inique ſanè nos ipſos rebus diuidimus; vtrobíque falſi & miniſtri, & nobis & rebus; quas ſummè ſpernendas nullo fine ambimus, ſummè expetendas indigniſſimè ſpernimus: Indignæ ſunt amplitudine animi noſtri caducorum anguſtiæ; hanc nos gratiæ ſeruemus, & pandamus, æuo, dignitate, creſcendi copia infinitæ. Lib. de pœnit. c. 11.

In hunc licet campum totis deſideriis effundamur, omnéſque votis habenas permittamus, præteritorum immemores porrectique ad anteriora; & animæ lucra non de iam quæſito ſed dè quærendo metiamur: currebat Apoſtolus, tu non modò inſiſtis, ſed curſum vnâ & currendi ſtudium defigis, quaſi ſempiterni ac ſummi boni breuis ambitio tibi ſufficiat. Negat ſe perfectum Apoſtolus, & poſt tanta & talia virtutis perfectiſſimæ argumenta, ſecuritatis pignora, martyria ærumnarum, prodigiorum miracula, præſtantius aliquid & per- 3. Philip. 3.

 fectius

ſectius meditatur. Tibi, quod deeſt infinitum; quod adeſt, hactenus tenue, & puſillum; cui tamen addere non prius deſinit prodigus ſui Deus, quam te tui profectus tædeat, laudiſque Deo inde deſtinatæ; cur hanc Deo, cur tibi, cur ipſi gratiæ iniuriam facis? repete animo
Aug. in Pſal. 69. vxorem Lothi, vt hoc exempli ſale, quo vetita in virtutis curſu multata eſt mora, prudentius condiaris, pungaris ſapidius, vehementius inciteris: Auarum nihil tam delectat eorum quæ poſſidet, quàm angit vel vnum quo caret; illorum ſecurus, imò & oblitus, in eo deſudat, id inquietiſſimis ſtudiis & cupiditate importuniſſimâ ſectatur. Nos quorum inopiæ deeſt immenſum pelagus virtutum, & imperium gratiæ nullis finibus circumſcriptum, pronum tamen paratu, nec ita arduum; adeſt autem vix eius particula, quo eſſe tandem animo oportet? An ſæculi filiis palmam prudentiæ cedere, peiores in ſorte inæſtimabili quam ſint ipſi in nihilo negotiatores. *Humanum dico,* ait Apoſtolus, *propter infirmitatem carnis veſtræ, ſicut enim exhibuiſtis membra veſtra ſeruire immunditiæ, & iniquitati, ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra veſtra ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem,* quò nouis ſcilicet quotidie lucris ſanctimonia veſtra cumuletur, & hæc ſaltem votis, ſi minus facto peragamus, ne noſtrum exitium aliquando optaſſe ardentius, quàm optemus nunc vitam & gratiam, videamur.
Lib. 3. Ep. 167. Mira res, inquit, S. Iſidorus. Cæteræ quidem penè omnes affectiones, & vigorem & ſenium ſentiunt, at horrendus pecuniarum amor finem neſcit,

neſcit, ſatietatem contumelia afficit, lætitiam ignorat, imò verò in dies vigens, vel, vt rectius loquar, vigorem ſuum augens, fortior ſeipſo, & valentior, atque acrior eſſe contendit, &c. Eia igitur hoc ipſo, vt minimum, votorum ardore diuitias gratiæ cupiamus, quæ vt nullis clauduntur metarum obicibus ſic tam inflammato & forti, tam inexhauſto, & anxio in illas ſtudio nos rapi neceſſe eſt, vt reliqua noſtra rei cuiuſcumque ſtudia & curas extinguant: ſua cuique ſeruemus ſarta tecta iura, & gratiæ pretium; mundo & mundanis contemptum, & odium. Vt enim, inquit Cæſarius, diffluentem pampinorum luxuriem falce caſtigas, paucis vtilibus ad fructum ſeruatis, ita quicquid progerminat animus, in hæc irritamenta ſenſuum, & caduca pronum, cruce Chriſti & gladio ſpiritus amputemus, illæſis duntaxat, defenſiſque gemmis, quæ ſe in virtutem, & ſanctimoniam ſunt explicaturæ.

CAPVT XIV.

An præſtet Diuinæ participatio naturæ per gratiam, eiuſdem participatione per Incarnationem & Euchariſtiam.

SI poſſent iſta ſeorſim committi, nec poſtrema duo, prius illud pro ſcopo haberent, 1.

eſſet fortè cauſa plauſibilior diſputandi. Quid enim potuit humano generi honorificentius venire, quàm vt aſſequeretur Dei genus, & conſanguineum nactus Deum, videret orbis ſatorem, & arbitrum, hominem inter homines eſſe, non Angelum. Beatiſſimas quidem illas mentes cognationis tantæ nouitas inopina, incredibili admiratione ſuſpendit Deo, inter adeo nobiles naturas, humanam tantum placuiſſe dignámque tanto delectu viſam, & totis ſacræ illiorum militiæ præfectum ordinibus, adorationi & Sacramento propoſitam, cælíque imperio donatam. Procul, ſcio, à vobis, puriſſimi ſpiritus! Inuidiæ omnis, & fomes & vapor eſt; at ſi vos propius eius poſſet odor aliquis perflare, inde profectò expiraret rumpique præcordia cogeret; quod vobis Deũ vocare Angelum non detur, cum mihi hominem, cum patrem, fratrémque liceat. Abſurdè faciunt, aiebat Iobius Monachus, qui mallent Angeli quam homines eſſe: nam etſi ſunt illi doloris, morborum & mortis expertes, cognatum Deum, fratrémque non habent. Nos quamuis ærumnoſiſſimos, & ſexcentis doloribus, caſibus, mortibus, iactationibus expoſitos, abundè conſolatur, quòd Deum tenemus naturæ tot malis exercitæ ſocium & conſortem; cuius certè honoris pretio, non hac modò natura, ſed miſeriore, ſuam Angeli celſam, & intactam cupidiſſimè commutent. O nefariam eius ſtultámque ſuperbiam quàm tantus honor non ſatiat, ſed inanes alij ac leues ſollicitant. Gloriabatur Paulus vnâ Chriſti cruce,

Lib. 3. de incarn. l. 15. apud Phot.

nobis

nobis ad gloriam ipſe Chriſtus, videlicet obſcurior fuerit, parúmque ſplendebit? & de ſæculi faſtu malignæ lucis nitedulas ad hunc nobis addendas cenſebimus? At ſi hac implemur affatim, & tranquilla gaudemus dignitate, id nobis præcipuè cordi ſit, ne qua illam cogitatio degener ne quis decolor auſus inficiat, fœdétque notâ ignobili propinqui ſanguinis maieſtatem; ne dicatur de Chriſti cognato, Deique germano, quod de homine vel Angelo minùs aptè; de mancipio dæmonis aptius iactaretur; ne vllâ noſtri parte; verbo factovè alterius ſimus, quàm eius qui noſtram in familiam tranſiens, in ſuam nos pariter adſciuit. Reuereamur, inquit B. Chryſoſtomus, caput noſtrum, reputemúſque quàm adorandi capitis, corpus ſimus. Prorſus æquum eſt etiam Angelos virtute à nobis ſuperari, quin imò Archangelos, cum Deus hominem indutus, illius pedibus cuncta ſubſtrauerit, multáque in eandem ſententiam, acri demùm, ſed iuſtâ concludit querela; & poteſt, inquit, tanti capitis corpus proterendum, conculcandúmque dæmonibus obiici, néque horror nobis, eius immanitate ſceleris moueri? Noſtræ porrò huiuſce, nobiles ſpiritus, probè conſcij dignitatis, cùm fieri homines non poſſint, hominum amant nomenclationem, viríque ac principes apud Danielem appellantur. Quæ obſeruantia exinde cœpta eſt ab iis haberi, cum promiſſum Abraham de filio Deo ait audierunt, tunc enim primùm congreſſu faciles, agere cum hominibus viſi ſunt, creuítque vt docet B. Gregorius

Hom. 3. in Ep 1. ad Eph.

Iobius l.c 2.

hæc reuerentia poſt exſolutam promiſſi fidem, nec paſſi ſunt illos ſibi, vt antea, venerabundos procidere, quorum in natura comparatum Deum adorabant: rati ſat ſibi, ſupérque id fore, ſi, cum naturæ priuilegio non poſſent, delatione honoris mutuâ nobis æquarentur.

2. Verùm enimuerò, cum ſe membris Deus humanis infudit, totam hominę in vno extulit, ornauítque naturam; cum ſe nobis in cibum, & poculum dominæ vocis imperio conſecrauit, vnumquemque noſtrum, ô profuſiſſimum ſui bonum! ſeorſum ſui participem fecit, ditauítque ſingulos eadem propè dignitate quâ naturam omnem in vno fuerat dignatus; illic caro noſtra factus; hic nobis in ſuam conſitis, & tantò mirabilius corporatis, quantò poſterioris doni argumentum ampliatio eſt, & complexio prioris. Quid hoc tandem honoris, munificentiæ, generoſitatis Deum pectoris hoſpitem habere, noſtríſque in venis Dei ſanguinem micare: vnde nobis laudes, & grati dociliſque animi propoſita, gemitus, officia, ſudores, obſequia, quæ tanti muneris autori reponamus: Suggerit en illa S. Chryſoſtomus ſi aurem morigeri præbemus. Si es, inquit ille, Chriſti corpus, crucem tolle, nam & ipſe hanc tulit, fer ſputa, fer colaphos, fer clauos; fuit id corpus ab omni labe, dolóque alienum, manus in leuamen egentium, ac beneficentiam nunquam non apertæ; ori, præterquam decet nihil excidit; arreptitius audiuit, & ſiluit; nec verò differt ab eo corpore id de quo agimus, cuius in partem, & ſanguinem

Hom. 3. in Epiſt. ad Eph.

nem venimus, illique virtuti aſſidens, in quam non cadit interitus, à Sanctis Angelis adoratur. Et poſt hæc, quidam de pecuniis laborant, alij cupiditatibus ſe dedunt? non vides in noſtro corpore amputari ſuperuacanea, & inutilia, nec profuturum exciſis, mortuis, putridis, corruptiſque membris, quòd ſemel in corpore fuerint. His & pluribus Doctor ſanctiſſimus nomina ſubducit, quibus duplex illa quam explicuimus cum Deo cognatio nos obſtringit ad ſanctimoniam agendi, tolerandi patientiam, vitæ rationem ſanctis quoque Angelis abſolutiorem, ne tanquam iniurioſa corpori membra immedicabili vulnere reſcindamur.

At ſi tenemur his legibus ob ſocietatem hanc 3.
eiuſdem cum Deo corporis, quid? ob ſocietatem eiuſdem ſpiritus, & animæ, quantò arctioribus obligamur? Capi fateor, non poteſt, Deo, noſtrâ causâ, ſemel homini facto, quantum debeamus, quantum eidem quotidie in cibum nobis potúmque comparato; Verùm, cui bono, hæc tam magnifica diuini amoris monumenta, ſi poſt hæc fortè, periclitor & pereo? gratiæ vero poſſeſſor tenax & ſtrenuus, nec periclitari poſſum nec perire; corporato Deo vnus mei ſimilis, ſed procul me nectit; proximè animum incolenti, animo inhærens me iungit gratia; cognationem hanc affinis non copulat, non conſanguineus vt germanus, ſed cuiuſque anima & Deus, magnum Deus homo, Deus hominis cibus; maius, atque haud paulò maius, ad quod vtrumque id homini datum eſt, vt compos diuinæ gratiæ perpetuus

petuus fieret. Dic oro, quid ſis, aut non ſis potiùs acturus, paſſurus, profuſurus, tametſi vitam, & ſanguinem per mille cruciatus, morteſque lentas profundi oporteat, ne Chriſtus, homo Deus, Rex, pater, frater, decus, iucũditas, bonitas, & nobilitas generis noſtri; ne menſæ auguſtiſſimæ vitalis cibus deficiat, & mundo pereat? pereunt hæc nobis, cum perit gratia, eóque flagitioſius quò deteriore ingrati animi ſcelere obtenta perdimus, quàm ſi nunquam iis potiti eſſemus: Quod eſſemus igitur præſtituri, ne noſtra gloria, lux, & deliciæ Chriſtus IESVS de mundo tolleretur, hoc enitamur, ſudemus, euincamus, ne gratia ſummum ac ſaluberrimum Dei donum à nobis auferatur.

Orat. 1. de Nat. *Agamus* cum S. Leone *gratias Deo Patri per filium in Spiritu ſancto, qui propter multam charitatem ſuam quâ dilexit nos, miſertus eſt noſtri, & cùm eſſemus mortui peccatis, conuiuificauit nos Chriſto, vt eſſemus in ipſo noua creatura, nouúmque figmentum; deponamus veterem hominem cum actibus ſuis, & adepti participationem generationis Chriſti, carnis renuntiemus operibus; meminerimus cuius capitis, & corporis membra ſimus*, cuius dignitatis & regni, quo ſanguine conſortes effecti, ex quo illa nobis contra hoſtis maligni tentamenta magnitudo animi exardeſcet, ad quam nos hortatur S. Gregorius Nazianzenus:

Orat. in S. Bapt. *Si te*, ait, *per auaritiam oppugnet, vno temporis momento & obtutu regna omnia tanquam ſua, mercedem proponat adorationis quam à te exigit, ſperne velut mendicum, & egentem. Dic ſignaculo fretus;*

fretus; Ipſe quoque Dei imago ſum, haudquaquam vt tu, ab cæli gloria per ſuperbiam deiectus; Chriſto indutus ſum. Tu me ipſe potiùs adora; his mihi crede verbis, victus pudefactúſque ſe tenebris condet. Demùm hoc vnum nobis timori ſit, ne qua res à Chriſto nos diuidat; *Cætera,* inquit S. Gregorius Nyſſenus, *pro vmbrâ, ludibriis, & ſomniis ducamus, cùm ex aduerſo gratiæ poſita nihil præterea ſint.*

CAPVT XV.

Dignitatem quam confert hominibus gratia eſſe cunctis aliis, adóque maternitate Dei excellentiorem.

PRiorem huius argumenti partem cùm clarè exhauſerit abſoluta Chriſti autoritas, fruſtrà pluribus vrgeamus. 11 Ioanne ſi quidem præcurſore & Angelo, & pluſquam Prophetâ, quin eius, animæ per lauacrum veluti quodam patre, atque inter natos mulierum maximo, pronuntiauit tamen eſſe illum maiorem, qui vel minimus eſſet in cælorum regno, haud quidem illo, exactâ militiâ, triumphante, ſed hîc etiānum decertante; hoc eſt infimum in lege, ac ſtatu Euangelicæ gratiæ, præſtantiorem Ioanne eſſe, quamuis in Synagogâ ſummo; Tanti pendit in ſapientiæ trutinâ, gratiæ obolus præ Moſis ductu, Samuelis prouinciâ, potentiâ Heliæ, baptiſmo Ioannis, & toto legis veteris

Mald. in cap. 11. Matth. v. 11.

apparatu; nec minus clarum eſt pauxillum gratiæ vili mendicabulo conceſſum, inter ſordes hoſpitalium Domorum, in tabum & ſaniem fluenti, ſceptra omnia deprimere, & quicquid vſquam à Deo poteſtatis, honorúmque ſiue in homines, ſiue in Angelos eſt collatum: Sola per ſe, ſecluſis iis omnibus conſiſtit, regnátque gratia: hæc ſi abſit, tam nocent reliqua, vt ruentem Luciferum etiam impulerint, tantùm abeſt vt ſuſtinuerint.

2\. Dignitas Matris Dei, Reginæ Virginum, plaudente cælo, terríſque conceſſa fortaſſis aliquem mouerit; ſed hanc item, & quicquid ex eâ, ſeorſum à gratia, vel proficiſci potuit, vel ad eam referri, gratiæ cedere, ipſemet filius amantiſſimus tantæ Matris manifeſtat; Dei quidem Matri debet obſequioſam filius obſeruationem; reuerentiam cæleſtes ſpiritus, homines clientelam; venerationem & cultum, & mundi coronam, quicquid creatum eſt; atenim ipſa, & terrarum cælique imperio libenter caruerit, & matris Dei ius, honoréſque vltrò ab ſe cupidè abdicarit, ne gratia careat; mauult filia Dei eſſe per gratiam, quàm Mater Dei per naturam, minimè dubia, quamuis IESV ſui par eſſe amori erga matrem nihil poſſit, plus tamen amaturum, ſi quam poſſit nanciſci gratiâ ditiorem. Id enim matrem egregia voce, eiúſque vitalia vbera prædicanti, reſpondens Chriſtus intelligi voluit; *quin imò,* inquiens, *Beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud*; quo ſanè reſponſo nihil matri ademit, vt cuius inuictas audiendo, capeſſendóque

Beda in Luc. Aug. tr. 10. in Ioann. Cypr. de paſſ. Iuſt q. 136. Orth

dóque

dóque Dei verbo curas, & diligentiam æquauit nemo; ſed has eſſe illius partes præcipuas, hanc beatitatis ſummam docere voluit, pluris in matre, & quouis alio quàm materna iura æſtimandam, quæ nullius eſſent abſque gratiæ gemmâ compendij: Sic interpretantur Chriſtum multi ex Patribus, ſéque ipſe tunc ſatis explicuit, cùm matrem adeſſe monitus, extentâ in diſcipulos manu; *Hæc eſt mater mea, & hi ſunt*, ait, *fratres mei, quicunque etenim fecerit voluntatem patris mei qui in cælis eſt, ipſe meus frater, & ſoror & mater eſt.* Audiant, audiant, qui Chriſtum cupiditati ſuæ leuiſſimæ aut indigniſſimæ poſtponunt, & contemptores oblatæ gratiæ Deum ab ſe ablegant, vt proditores Dei & gratiæ admittant. *Magiſter optimus*, inquit B. Auguſtinus, *maternum nomen quod ei quaſi priuatum, propriúmque nuntiauerunt, quia terrenum erat, in comparatione cæleſtis propinquitatis, abiecit; & eamdem cæleſtem propinquitatem in diſcipulis ſuis commemorans, quo ſibi rurſum conſortio generis cum cæteris ſanctis virgo ſancta cohæreret, oſtendit.* Et alio loco negat cognationem matris vlli emolumento virgini futuram, niſi Chriſtum mente felicius, quàm carne geſtaſſet. Quis hic mihi latera, & vocem, quæ, orbe quâ patet, quaque abditur, toto, hanc magni Auguſtini cunctis mortalibus referat, & inſculpat vocem, nihil profuturum fuiſſe Virgini matris Dei decus, niſi Dei gratia profuiſſet. Nam ſi non poſſunt hæc non eſſe vera, profuturam vobis ô ſtulti! creditis famæ vmbram quam legis diuinæ

Matth. 12.

Ep. 38.

Lib. 6. de ſancta Virg c. 3.

I 2 ſplendori

ſplendori obtenditis? claritatem nominis quod in hominum oculis, quàm in libro viuentium mauultis? rationes, & quæſtus quibus æquitatem benè cenſetis immolari? delicias corporum, quibus immortalem animam mactatis? quidquam denique vlli bono, voluptatíque vobis ſine gratia ſperatis fore ſi mundi ſceptrum, & cæli corona, & imperium in beatos, & matris in filium, ac filij opes, autoritas, & poteſtas nihil potuerint Dei matri, abſque gratia prodeſſe? proh! quantum peccati, & gratiæ diſcrimen, & quàm vtrimque formidandum! alieniſſimus à Deo, & longinquiſſimis, vt is quodam nepos, regionibus ſemotus, Deo vi gratiæ iungitur, & ſeruatur; Deo matris inſtar, & matre chariùs coniunctus, peccando damnatur,

3. Duplici nititur excellentia matris Dei prærogatiuo iure. Vnum eſt, quod Dei filio puriſſimum ſanguinem coagmentandæ carni miniſtrauit; in quâ erat ipſe corporandus. Alterum: quod illum nouem menſes ſanctiſſimis tulit, aluítque viſceribus. Iam ſi hæc duo cum iis cōtendant, quibus præditus gratiâ fruitur, & beatur, planè aliud eſt eſſe hominem diuinitatis participem; aliud Deum, materni ſanguinis; Illud hominem ſanctum facit; hoc nullam Deo, nullam matri per ſeſe, ex S. Auguſtini ſententiâ, confert ſanctitatem; Illud filium Dei fecit, virginei vteri hoſpitem, hoc Spiritum ſanctum (quod pòſt erit videndum) æqualem in omnibus Patri, & filio, habitatorem noſtri facit perpetuum. Vbi mihi, qui hæc prodigia

capiat,

capiat,cenſeat, æſtimet, pro merito colat, & diligat? Nam vſque adeò ignorantur,vt vulgò ex animo tantus hoſpes ignominiosè exturbetur, quò detur futioſo, vel turpi oblectamento locus. Vah! probrum generis humani, oſor tui, & Irriſor Dei, hoc te tam atrox, & contumelioſum nefas toties audere, & audendi conſuetudine vix iam aduertere? Dicam execrandum, quod & ipſe abomineris facinus, vt vel nunc tuum ex eo diſcas & horreas. Qui ſuſcepto Chriſti auguſtiſſimo corpore illud ſponte, ac eius pertæſus reuomat; Qui Sacroſanctæ Virgini Deo plenæ, ad excutiendum præmaturè fœtum, clàm pharmacum miſceat; quibus inferis dignum pronunties? Quem non præ illo Iudam inſontem dixeris, dum tu interea Spiritum ſanctum, profanato pulſum pectoris auguſtali, pergis tuo ſcelere perſequi. Quibus verò ſubſultat ſtomachus, ad huius inſolentiam portenti; quique tabeſcunt cum Rege Prophetâ,inſpectâ præuaricantium tam quotidianâ perfidiâ, ne putent ſe continuò tutos prorsúſque liberos, niſi hunc ſpiritum diuinum ſaltem humaniter habeant: nec enim, opinor, hoſpitij legibus, ſatis olim facturos fuiſſe reputent, ſi qui Chriſtum apud ſe dies aliquot diuerſantem allocuti non eſſent, non recreaſſent obſequiis, non miniſterio refeciſſent, ne reſpexiſſent quidem. Quid ſibi vult itáque ingrata hæc noſtra, ſed heu voluntaria ruſticitas? quâ Dei ſpiritum, mentem noſtram irreuocabili ſuâ dignatum præſentia tractamus, rerum illius faſtidio, inanitate omni ver-

Digitized by Google

borum & operum, indulgentiâ erga ſenſus, aberratione animi ab Deo & officio penè perpetuâ, & creandâ illi æternarum autori lætitiarum ſpiritui, ferè vbique triſtitia. Quàm vereor, iſta tam multiplex hoſpitij ſacri violatione ferri ab eo diutiùs non poſſit: ne deſertam domum iis cedat belluis, quarum paſtu magis quàm Dei contubernio delectamur; nec enim fruſtrà comminatur: *Requieſcent ibi beſtiæ, & repleбuntur domus eorum draconibus, & habitabunt ibi ſtruthiones, & piloſi ſaltabunt ibi, & reſpondebunt ibi vlulæ in ædibus eius, & Syrenes in delubris voluptatis.* Quæ ne vnquam minæ
Iſa. 13.
fiant noſtro errore, aut culpa ratæ, imitemur erga diuinum ſpiritum cordis noſtri ſtudioſiſſimum ac ſuauiſſimum hoſpitem, Beatiſſimæ Virginis erga filium Deum ſedulam pietatem, religioſum cultum, officioſam aſſiduitatem: reuereamur nos ipſos, tanquam Spiritus ſancti puluinar ſacrum, & quod de ſanctiſſimæ Dei matris exclamat viſceribus B. Epiphanius, dictum de nobis etiam cogitemus. O caſta viſcera! complexu cæli vaſtiora, & incomprehenſi capacia, nec eius amplitudini anguſta; ô cælum non vterum! orbe ſeptemplici ornatum, latius cælo atque ſublimius; ô vterum inextinctâ ſplendentem diuinæ gratiæ lampade ſolem ſeptuplo ſuperantis; ô grate Deo & placens anime! vtinam te ex vero noris, ex merito æſtimes, ex pretio ſerues, ex ſeruatoris oculo, deſiderio, & amore excolere & perficere contendas.

CAPVT

CAPVT XVI.

Quanti Deus gratiam æſtimet.

FEram equidem non grauatè illorum quæ ab initio dicta ſunt nullam haberi rationem, ſi parum cuipiam æſtimatio gratiæ conſtare inde videatur. Eia itaque examen hoc noſtrum, in ſacratiore Dei trutinâ caſtigemus; in hac profectò reperiemus gratiam diuinam infiniti ponderis extitiſſe. Nam quid reliquum tandem fecit charitati ſuæ ſapientiſſimæ, quid potentiſſimæ liberalitati quod non profuderit, ad parandam nobis eius gratiæ aſſecutionem? non pepercit vnico filio, non eius ſanguini, cruciatibus ac vitæ, non pretio miris, multiſque modis infinito, certus, ſolúſque rerum cenſor, & æſtimator Deus. Quàm magnum id eſſe neceſſe eſt quod ſeipſo toto nobis emit, ſui haudquaquam otioſus negotiator & inſcius, ſed veris, certiſque ſingula momentis librare ſolitus? Hominem gratiâ, proditio atrox, nunquam recuperandâ exturbarat; hunc Deus vt gratiæ redderet ſummâ re ſuâ decreuit offenſam luere, nihilque omittere quod erigendo lapſui conducere ſapientia præpotens ſuggeſſiſſet. Ob hoc vnum (quid enim præterea id ſuadere potuiſſet) homo factus, nouitate inuſitati conſilij totam cœlitum aulam exterruit; videre illum paterno è ſolio progreſſum, in ex- 1.

ternas

ternas oras, ac longiſſimè diſſitas, quod nunquam Reges niſi grauiſſimis de cauſis ſuſcipiunt, è ſupremo cælo iter arripere; angulum quærere tugurioli Nazareni, multóque anguſtius matris pectore concludi: hæc dum agitaret, faceret, vrgeret, ac poſtpoſitâ puratum mentium naturâ & conditione, in has capitalium reorum lamentabiles ærumnas, & calamitoſa ergaſtula ſe reus indueret; Quis non illum ſalutem, vitam, felicitatem, & gloriam, & diuinitatem prenſare ſibi ac licere tam inſolentibus pretiis crediſſet? Vnam ah! vnam prenſabat nobis, deperibátque mundo vilem, & deſpicabilem gratiam, nec putabat tot iis & bonorum diſpendiis, & dolorum ſumptibus carò emi. Quo hic incantamento dementamur? qui nos vrit dæmonis oculus? dum ſine hac gratia punctum temporis viuere, dormire, imò & edere, deliciari, ac ludere quieti ſuſtinemus? Quin & adire mortis pericula, & tempeſtatibus ac iteneribus corpus, animúmque permittere? Quid hoc monſtri eſt importuniſſimi? Conficit ſeipſe, (ſit verbo venia) & deſtruit Deus, vt te amiſsâ reficiat, & inſtruat gratiâ, tu illam vt perdas, & deſtruas, tuis te, perfidioſiſſime mortalis, flagitiis & ſceleribus perdis, & deſtruis, falſo tantum honoris fuco, & voluptatulæ vmbra captus: Támne te nihili ducere quod tanti Deus? Poſt verò ſuſceptum hominem quid laboris, ſudorum, ignominiæ non tulit? Quadragintadialem inediam; lanienam corporis diſcerpti ac laceri; coronam ſpinis crudelibus caput haurientem, probroſam
in-

in infami trunco inter facinoroſos mortem. Dicite Beati ſpiritus, qui toti radiis diuinæ naturæ, & gratiæ ardetis, quid hæc ſit gratia, cui nobis parandæ nihil intentatum, nihil in theſauris potentiæ bonitatíſque intactum prætermiſit; grande aliquid eſt, quod ipſi Deo vitâ ſtetit: neque hîc hæſit negotiatio, ſed ad ſempiternum alendæ hominibus gratiæ Sacramentum, & ſacrificium deuenit, quod non alio quam Chriſti corpore, & ſanguine conſtaret; parum ſcilicet fuit ſemel hominem naſci, reum mori & ſepulchro condi, niſi millies quot horis orbe toto inter Sacerdotum corporaretur manus, non rarò perfidas & inceſtas, noſtrorúmque corporum non ſolitariis & nouis, ſed cadaueroſis tumulis premeretur? Quonam tot itus, & reditus, tam crebra quotidie, tam denſa, procliuis, varia, inferius, inferiúſque deſcenſio; cùm vnus ipſius aduentus Patriarcharum vota & clamores tot olim ſæculis fatigarit? Hæc agit quærendæ conſeruandæque nobis gratiæ ingens ardor, & ſollicita impatientia: hæc tot itinera moleſta & ardua deuorat; hęc tot illi heu! fœda, ſuſpecta, inornata ſtabula, & pandochia metatur, dum nos, ô cæcum, & ignauum ſtuporem! gratiæ cauſa, ægrè pedem mouemus, exitij eius alimenta & cauſas, velis remiſſque properamus. Nihil à Deo vnquam ſuſceptum actúmque eſt, niſi ad gratiam, infelicibus alioqui parandam mortalibus, tuendam, & exaggerandam. Quid & quantulum eſt, quod agimus, patimur, optamus ſaltem & volumus.

2. Sit ergo nobis æſtimandæ gratiæ regula, Chriſti pro illa negotiatio; ſit numeratò repræſentatus Chriſti ſanguis; ſit profuſa cum ſanguine per ſæuos dolores anima. Fas quidem ſibi Dauid non credidit quæſitam fortium militum audaci periculo aquam, etſi communem & modicam bibere, ratúſque de pretio, dignam magis Deo, quàm ſiti ſuâ eam Domino libauit: Nobis certè gratiæ theſaurum, etſi nihil eorum quæ diximus, & quæ dici præ magnitudine non poſſunt velut immenſum commendaret, vnus Chriſti ſanguis,addo & extorta in eius pretium immaniter vita (quam Dauidis miles aquæ illi minimè impendit) plus ſatis prædicarent infinitis nominibus infinitam. Itaque gratiæ contemptor, non æternas modò contemnit diuitias quarum ipſa eſt parens, & domina; ſed damnat Chriſti de illa iudicium, vel dato pro illa pretio inſultat: contra B. Hilarius Euſebius Emiſſenus,& quiſquis eſt huius pretij gnarus, magnum quid me eſſe ſentio, quod opus Dei ſum; maius omnino, maius, quod tam copiosâ,abundantíque redemptus ſummâ, vt tanti videar, quanti Deus: Idemque alibi Euſebius, in ſtaterâ crucis non aurum,vel Angelum,ſed appenſum ſalutis autorem,vt homo extorris à gratia ſaltem de pretio ſuam penderet dignitatem. Et hoc ipſum pretium, quoties peccato gratiam permutas, hanc terribilis & ſupremi Dei ac Domini vitam, ſanguinem & necem contemptui & ludibrio traducis. Quod ſudauit tot annos ardens illa, noſtríque amore ſibi inimica charita Chriſti Iesv, vno hauſtu ſorbes

Digitized by Google

ſorbes,& patrimoniũ tam laborioſo, longóque factum negotio, gurges impuriſſimè, helluaris lucem verbis duobus mundi totius delicium, ſtellas, plantas, animantia ſimiliter condidit; Angelos ipſos nutu ſolo,flatu leui hominẽ animauit; mira, dicto, attactu, ſigno, voluntate, commodè ac penè obiter edidit, potuítque triplici voculâ omnes cum Lazaro mortuos excitare; Te verò,impie gratiæ deſertor, & proditor! vt reconciliaret gratiæ, cerne cruentâ ex arbore clauis trabalibus pendentem,& poſt vitæ minimè vitalis contextam miſeriis ſeriem, inter ſummos dolores animam exhalantem, & hic ſaltem ſobrius ſtatue, quanto illi pretio ſteterit. At ſunt nihilominus,qui poſt abiectam quot diebus millies gratiam,actóſque non aliter multos menſes,quàm eſſet acturus corporatus ex inferis dæmon, confeſſione tumultuariâ ſe putant de tam execranda flagitiorum mole tranſegiſſe, æquè poſtridie & ſub veſperam, læti,comes,quieti,benè habiti,vix ſui, vix criminum memores,ne propoſiti quidem,ſi modò vnquam fuit. Deus immortalis! Quò nos cæcitas lubens? Quò rapit aſſuetus peccandi furor? fidos autem & dociles ad omnem pietatis aurã Dei ſeruos,quantò melius ad Chriſti myſteria, fruendúmque in iis ipſius ſanguinem ſancta meditatio componit? quanto ad illa gemitu adeunt,quàm forti animum propoſito obarmant; quàm cauti poſtea, vel receptam fortaſſis, vel auctam gratiam ab inſidiis defendunt, quàm ſtrenuè occupant? nõn ignari Deum ſibi exoſis,& hoſtibus gratiam largitum, fore poſt da- Chryſ. hom. 1. Epiſt.ad Epheſ.

Digitized by Google

tam,in eoſdem amicos , & filios liberaliorem.

3. Poſtremò gratiæ apud Deum eovſque æſtimatio peruenit, vt orbem, ſuſdéque verti ſinat, quò illam ſuis, aut ſeruet; aut comparet; Viden' bella & lues,humani generis tonſuras, quibus merguntur, exhauriuntúrque prouinciæ,iacturas bonorum,familiarium dehoneſtamenta, & ruinas, facinora etiam luce palam volitantia,& velut in curru de virtute, probitatéque triumphantia; hæc & his ſi quæ ſunt peiora peſſimorum hominum ſcelere peſſimè deſignata, in compendia gratiæ, diuina miſericordia conuertit, etſi propterea ſubeat prouidentia eius Sacroſancta inſipientium cenſurã; de gratiâ demum vbicúnque & quoties agitur, pluma eſt, & nihilo leuius quicquid aliud ſe Deo obiicit; mauult interire omnia funditus quam vel vni gratia pereat; cur ergo nos quoque hoc magiſterio gratiam, & noſtræ ſalutis pretium tandem non diſcimus? pereant honores, ſtet modo gratia;diuitiæ pereant,parentes, filij,amicitię,commoda valetudo,vita,ſalus ipſa, cælum, terra, omnia pereant, ſit modo nobis ſalua & incolumis gratia:in hanc iure omnia vendi,& inſumi Chriſtus,ob hãc cariſſimas neceſſitudines & animam ſperni eiuraríque iuſſit, cùm exempli ſui luculentâ, & dulci flammâ ad hoc nobis ipſe præiuerit, & qui hanc habet margaritam, cæli Deíque pretium habeat & in hoc poſſideat vniuerſa.

DE

DE INÆSTIMABILI PRETIO DIVINÆ GRATIÆ Chriſti nobis ſanguine comparatæ.

LIBER SECVNDVS.

CAPVT I.

Gratiæ compotem non tantum eſſe Diuinæ conſortem naturæ, ſed Sancti Spiritus perſonam re ipsâ poſſidere.

POSTQVAM gratiæ naturam è Sanctorum Deíque ipſius iudicio conati ſumus æſtimare, ſequitur, eamdem ex eius conditionibus, & quibus pollet viribus admirandis, effectíſque indicemus: horum vnum eſt quod vt ſolum fingamus, tamen ſupra quam dici queat gratiam commendarit, etſi nihil præterea addamus; nec enim tantùm eſt naturæ diuinæ participatio, verùm nos etiam diuinæ participes efficit ſubſtantiæ, dum S. Spiritus perſonam, & quod neceſſe eſt, 1.

 patris

Digitized by Google

[Vide Cornel. à Lapid. in 2. B. Petri c. 1. & Leſſ. de perf. diuin.]

patris & filij, in noſtros animos inducit. Quare volunt Theologi præcipui probos communione duplici cum Deo iungi; alterâ gratiæ per inſignem beneuolentiam, ſubſtantiæ altera per inductam in illorum mentes S. Spiritus perſonam, Imprimis enim S. Thomas. *In ipſo,* inquit, *dono gratiæ gratum facientis Spiritus ſanctus habetur, & inhabitat hominem, vnde ipſemet Spiritus ſanctus datur, & mittitur:* poſt paulum verò. *Per donum gratiæ gratum facientis perficitur creatura rationalis, ad hoc quod liberè non ſolum ipſo dono creato vtatur, ſed vt ipsâ diuinâ perſonâ fruatur, & ideò miſſio inuiſibilis fit ſecundum donum gratiæ gratum facientis, & tamen ipſa diuina perſona datur:* Quod & mox iterans, *Gratia gratum faciens,* ait, *diſponit animam ad habendam diuinam perſonam, & ſignificatur hoc cum dicitur, quod Spiritus ſanctus datur ſecundum donum gratiæ:*

[1. p. q. 143. a. 3. in corp. — Ad 1. — Ad 2.]

Mitto alia eiuſdem, & aliorum loca, Bonauenturæ, Scoti, Alenſis, Vaſquez, Valentiæ, Suaris, qui auctore S. Thoma fretus, erroris oppoſitum damnat: & S. Ambroſius; ne quis tantum munus Apoſtolos ſolùm & horum ſuppares tangere videretur. *Quid dubitem,* inquit dicere, *quia datus eſt Spiritus ſanctus, cùm ſcriptum ſit, charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis, quem vtique quia recipere pectora captiua non poterant, prius Dominus IESVS captiuam duxit captiuitatem, vt liberis affectibus gratiæ diuinæ munus infunderet.* Hauſerat ſcilicet è Chriſti ſcholâ, membra noſtra Templum eſſe Spiritus ſancti;

[1. p. q. 33. a. 1. — In 1. diſt 14. P. Lomb — l. de Sp. S. c. 5. — S. Iren. l. 5. cont. hær. c. 6. — Chryſ. 2. cor. — Aug. 13. ciu. c. 2. — 1. Cor. 6.]

ſancti ; diffuſam eſſe in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui nobis datus eſt Dei charitatem ; Spiritum ſanctum in Chriſti nomine mittendum, manſurum apud nos, & in nobis futurum ; Ex quibus ingens continuò oritur admiratio gratiæ adeò potentis ac fœcundæ, vt infinitum hoc & immenſum bonum in animos noſtros neceſſariò ſecum vehat ; ac , ſi fingendi causâ , ponamus, Deum non implere, permearéque vniuerſa , ſed eſſe illius aliquorum mentes omnino vacuas , in iis tamen beneficio gratiæ Spiritus ſanctus re verâ futurus ſit ; Non minus , inquit , doctiſſimus Suarez, quàm verbum diuinum ſi poſſet aliunde abeſſe , vi tamen iunctæ aſſumpto cum homine perſonæ, illius corpori animæque neceſſariò adeſſet admirandam ſanè gratiæ virtutem, tam dulci, tam ſancto , tam indiuiduo beatæ, fultæque comitatu ! Quid tale poſſunt hæc nobis inuehere quæ ſtulto labore, ac ſtudio ſectamur, qui ſudores , & ſumptus , tam opimo in quæſtu videri parum auarè collocati ? Quæ rerum damna cum huius otio aut amiſſione comparari ? *Si exprobramini in nomine Chriſti*, ait Apoſtolorum Princeps *beati eritis, quoniam quod eſt honoris, gloriæ & virtutis Dei, & qui eſt eius ſpiritus ſuper vos requieſcet.* O piè ſuperba opprobria, ſuperbiſque ſi norint, expetenda ! ſed è contrario, inſanam tametſi tacitam peccantium, vocem hunc à ſe hoſpitem eiicientium, & dicentium Deo, *Recede à nobis , & quaſi nihil facere poſſit omnipotens , æſtimantium illum, cùm ille impleat domos illorum.*

1. Petr. 4.

Iob 22.

Quis

2. Quis non hic ſtupeat, patris nimium boni, & nimiũ duri, charitatem, qui ſemel tradito in ſalutem ſeruorum filio, ſpiritum ſuum ſibi & filio æqualem ſingulis infundit, ad ſingulorum ſanctitatem. Nam quis ego, vt Deus, mei vnius causâ in terras, & in me veniat? mortalis naturæ indutus cilicium, vt eam morti eriperet totam cælitum aulam ſacro metu filius concuſſit; nunc eius ſpiritum ad conſecrandum ſibi animæ meæ Templum, ad me propriè, atque in me delabi? nec à me huius infinitatem boni & amoris agnoſci? Datur ſanè grandi miraculo in Eccleſiæ menſa Chriſti corpus, ſed ad breue tempus cum edentibus futurum; datur corpore Chriſti haud dubiè maior Spiritus S. cũ gratiâ, nobiſcum æternum manſurus; hoc eſt, bonitas, ſanctitas, amor ipſe patris ac filij, quibus non poſſumus vicis vllius partem reponere, niſi quicquid nobis in re quauis optimum ſuppetet, rependamus in agendo, cogitando, loquendo, conſulendo, vbique, & quod caput eſt, ſemper & conſtanter, nunquam repetendum aut imminuendum; cuius rationem perpetuitatis, doni omnis ex philoſopho proprium, notat Albertus Magnus, tantò eſſe in Spiritus ſancti poſſeſſione firmiorem quantò eſt ipſe donum nobilius. Quæ igitur illa peccantis barbaries, & impietas fuerit, in ſeipſum, ac Deum? renunciare illi hoſpitij amicitiæ, ſponſi iura, & quòd tantopere vetat Apoſtolus, contriſtare habitatorem ſui diuinum ſpiritum? ſi quem illa vſquam Sacerdotem rabies inceſſat, vt confectum mox Chriſti corpus vel ag-

grediatur proterere, vel in vicum è Templo abiicere, quis non ſtatim ad rogum proclamet, ſacrilegij tanti deteſtationem? & hoc tamen ſcelus quoties oculis obuerſatur? ad hæc ſi ſpiritu viuimus, ſpiritu & ambulemus, & à miniſterio ipſius alienum ab eo vaſarium longè ſecludamus: iniuria eſt, principem auro, gemmiſque aſſuetum, illotis figlinis, & ſqualenti ſeruitio excipi: ſacrilegium eſt haud paulò grauius ab diuini ſpiritus conſpectu & miniſterio, carnis leges, deſideria, & commoda non procul amouere, illique ſanctorum ſpirituum more, modóque non ſeruire. Quare poſt ſacram per confeſſiones, animi expiationem ex vero obitam, non defungendi cauſa; ne te hominem pulpâ & rubrâ conſtantem ſanie, ſed vnam ex puris mentibus, illibatúmque ſpiritum cogita nouis conſiliis, & legibus; nouis officiis, atque inſtrumẽtis ab carne, & terrâ alieniſſimis, nouo hoſpiti, diuino ſpiritui addictũ.

Nec verò hinc ſequitur, perfecto iſto amoris holocauſto ab colluuione terrena perpurgati, nihil iam reſtare quo (vti iubemur) proximum diligamus; propterea enim pulchrè aduertit S. Auguſtinus fuiſſe bis ſpiritum à Chriſto datum, primum adhuc in terris poſito, deinde in cælo Patri aſſidente, vt nos Dei imprimis amore; poſt, hominum quoque inflammaret; quod vtrumque eiuſdem ſpiritus, idem eſt, tum fructus, tum eadem charitas mandato duplici ſancita; idque ipſum notauit præterea Alcuinus, negans aliâ proximum, & aliâ Deum, ſed vnâ vtrumque amari charitate; & 3. Lib de Trinit., 15. c. 26.

quod alio in loco addit, amoris in proximum rudimento erudiri nos ad amandum Deum; ob id Spiritum ſanctum fuiſſe à Chriſto priùs quidem è terra, poſt è cælo ad homines miſſum. Quis ô quis te amor increate, & incomprehenſe pro modo tuæ bonitatis ſine modo amet? Quis hominem pro modo ac merito ſanguinis, quo lotus & emptus eſt? Amo te Deus meus præ omnibus, quod quàm parum ſit ſcio, ſed vlterius nequeo. Tolle oro cor meum, & illo te vt par eſt dilige; tolle omnes animæ meæ vires & magnitudinis tuæ profundo merge.

CAPVT II.

Sanctiſſimam Triadem fieri nobis per Gratiam præſentem.

1 NOn eſt difficilis ex iis quæ proximè dicta ſunt dicti huiuſce aſſertio *In hoc cognoſcimus*, inquit amoris diſcipulus & Magiſter, *quoniam in Deo manemus, & ipſe in nobis, quoniam de ſpiritu ſuo dedit nobis*; Et Alcuinus, charitate quam nobis hic ſpiritus infundit, Auguſtiſſimam Trinitatem affirmat in nobis habitare; magis verò diſertè Auguſtinus ait Spiritum ſanctum cum Patre, & filio, in Sanctorum mente tanquam ſuo in Templo degere, ſed clariſſimè Chriſtus: *Si quis diligit me ſer-*
Ioan. 4. *monem meum ſeruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eũ faciemus,*

faciemus, cum paulò ante dixiſſet, *In illo die cognoſcetis quia ego in patre & vos in me, & ego in vobis.* Quo de Origenes interpretatur ſocietatem illam dulciſſimam, quam B. Ioannes Chriſtianis magnificè gratulatur cum Patre Deo, & cum filio eius IESV Chriſto, ex cuius præſtantiâ, vehementer alibi nos hortatur ne quo noſtro illam ſcelere abdicemus, certi ſocietati lucis nuntium remitti, vbicumque placere tenebrarum opera cœperint. Denique exponens S. Auguſtinus, quo pacto Deo vniuerſa implenti, ſedes tamen in cælis oratione Dominicâ aſſignetur, cælos iſtos interpretatur, in terris probos, in cælo Angelos, in quibus veneranda trias magnificentiſſimam Regiam, ſibique acceptiſſimam ſtatuit, & peculiari Deus præſentiâ, gratiæ ſuæ comes perpetuus moratur; quæ quidem animæ dignitas, dum paulò altius exploratur, deſunt verba, ſenſúſque cogitanti quibus illam vtcumque aſſequatur: Deus homini præſens intráque hominem, nec ſolùm conſortio naturæ, ſed diuinæ tribus in hypoſtaſibus ſubſtantiæ? O iterum ac ſæpius admirabilē diuinę vim gratiæ ſecum in animos hominum abiectorum adorandam Triadem inducentis! Quo mihi ait B. Chryſoſtomus ſolis ac lunæ arbitrium olim Ioſue permiſſum? longè maioribus dignatur nos Chriſtus promittens fore, vt ipſe cum Patre ad nos venturus ſit; & in nobis manſurus; quis verò? vnde? cur? & quò venturus? O architectam Templi Dei & exornatricem Regiæ gratiam! tam ſcitam, & ſolertem, vt

cuius mentem illuſtrat & obtinet ab cælo citius quàm ab ipſo ſit ſanctiſſima Trinitas abfutura. Sed hanc mihi lucem tam iucundam peccantis temeritas fuſcat, & obruit; quis ferat Herodes impios direptum præſepi (quod illi ſua mutuat paupertas) infantem IESVM extra ſtabulum iactantes? Quis peiores Herode ſacrilegos euerſo detractum ſolio Regem Deum, pro mancipio tractantes? & ſilent ad hæc regis clientes, & famuli? & toto rerum conditarum ſatellitio, & furore auctorem ſuum non vlciſcitur natura? & parcit fulminibus, & mortibus cælum?

Eſt tamen hæc eo execrabilior peccantis te-
2. meritas quò affabilior & honorificentior Dei aduentus ad hominem. Quid enim eſt homo quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum? non tanquam famulum accedens, quod ipſum foret non exigui fauoris, excepturus ab ipſo ſeruitutis liberæ ac beatæ fida officia, ſed quaſi ad amiciſſimum ſocietatem cum illo nexurus nunquam penitus diſtrahendam. Nam quæ homuli vilis cum Patre & Filio & Spiritu ſancto parilitas? fuerit ſanè haud paruus Ioſepho, fuerit Danieli, Mardochæo & aliis honos, locus à regibus ſecundus; & quàm ridiculus ad hanc hominis cum Deo neceſſitudinem, & ſocietatem compoſitus? Socios enim eiuſmodi eſſe, piè admodum obſeruat Dionyſius Carthuſianus, vt communione mutua delectentur, ſermonum, loci, familiaritatis, arcanorum, occupationis, ſtudiorum, præſidij, affectionum, & iiſdem in

Digitized by Google

rebus libentiſſimè verſentur; Cuius verò eſt illa ſuauiſſima vox, niſi hominis verè, nec ſolo nomine Chriſtiani? *Mihi adhærere Deo bonum eſt, & adhæſit anima mea poſt te.* Hic perpetua cum Deo miſcet precando colloquia, & commercia meditando; præbet ſuſurris eius longè dulciſſimis attentam aurem, inſtinctus, & afflatus auidè colligit, mortis inſtar putat ab eo diuidi, ac ſi quando contingit, vt præſentem minimè ſentiat, & ſolitæ conſuetudinis amica ſigna non experiatur, conſternatus gemit, ſeſéque affligat, veritus ne qua ſua culpâ recedendi anſam illi præbuerit. Quid dicam viciſſim quot modis hunc Deus alliciat, quàm nihil ei tectum & ſecretum premat, cor ſuum coram Deo pariter effundenti? Denique deliciæ Dei eſſe cum filiis hominum & hic audenti omnium hoſtium, & terribilium prouocatione; *Quis nos ſeparabit*, inquit, *à charitate Dei quæ in Chriſto eſt?* multáque alia vtrimque in vnum Societas iſta Dei & hominis coagmentat, quibus idem vir Sanctus recenſitis meritò exclamat. *Quanta eſt rationalis creaturæ iſta nobilitas, habere cum diuina natura conſortium, atque cum proprio creatore ſocietatem ſortiri ac poſſidere? Sed heu! homo cum in honore eſſet non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus & per ſpiritualia atque carnalia vitia plurimi ſe dæmonibus, beſtiiſque aſſociant, & conformant.*

At hinc nihilo ſecius planè ingens nobis incumbit neceſſitas, obſeruationis erga Dei famulos ſingularis. Nam ſi tanti fiunt ad ſicca & 3.

frigida ſanctarum mentium ſpolia concurſus, vt turbâ nonnulli opprimantur, quo docet honore proſequi viuas Chriſti domos, ſpirantia diuinitatis ſacraria, puluinaria auguſtiſſimæ Trinitatis? niſi fortè cui lubet ambigere, pluriſne theca ſit mortuis Sanctorum referta cineribus quam tribus naturæ diuinæ perſonis æternum viuentibus, huius vero formam reuerentiæ, ac metus, quis nobis rituum præfectus, vel arbiter deſignet. Ah! te ſi noris anima Deo placens, quàm cautè ſerues, quàm reuerearis, ac circumſpicias magnificè? anima ſancta, Dei hoſpes, veneratio cælitum, amœniſſimus ſponſæ hortus, ac mille facibus ſuauiter fulgurans thalamus, Triados ſummæ prætorium, ſole ac cælo capacius, diuinarum aula, ſolium & ara perſonarum, & verbo complectar omnia, illarum, beneficio gratiæ, cenſors & ſocia. Iure quidem nos rapit S. Franciſcæ comitatus cum ſe Angelus præſes ſpectandum illi exhiberet? Quid autem Archangeli? quid Throni? quid ſi quod vſquam eſt mentium Beatarum, hominis vnius ſtiparet latus, & tegeret, quo illum honore eſſemus habituri. Hæc porro quantula, imò quàm nulla ſunt cum ipſo comitante animam ſanctam Deo, ac diuinarum cùm ipſa perſonarum ſocietate comparata? Illam verò cultam ab Angelis animam, ſi tãtoperè dedeceat facinus aliquod, aulæ tam nobilis vel minùs dignum præſentia, vel ad diſſipandos quæſitum aulicos captandamque aut ſolitudinem priuatam, aut nebulonum conſuetudinem; quanto magis

animam

Digitized by Google

animam Deo plenam, ac Deo circumcinctam? Quis credat autem hæc ſæpè fieri vixque aliud crebrius ac vulgatius perpetrari? melius obſecro dignitati, quam nos vi gratiæ adeptos confidimus, & moranti nobiſcum maieſtati reuerentius conſulamus, ambulantes dignè Deo, illi per omnia placentes & ſpreta humo cum ipſo toti, cumque cæleſtibus verſantes.

CAPVT III.

Gratiam eſſe animæ vitam.

HActenus diuinæ quam nobis accerſit gratia participatio naturæ, alia deinceps eiuſdem munera, quorum potiſſimum ac fundamentum eſt, hæc quam aggredimur animæ noſtræ vita, vt enim peccato animam necamus, & morimur, contingitque mors iſta, deſerente animam Deo, vti mors corporis animâ excedente, ita *gratia Dei vita, & quidem, æterna.* Quid itaque imprimis hæc vita, quid deinde anima, quæ hanc vitam viuit, quod demum vitæ genus ſit gratia, tria hæc breuiter expendemus. Tantæ eſt vita æſtimationis, vt abiectiſſimum in iis quæ viuunt præſtantiſſima quæque cæterorum dignitate ac pretio vincat: quo argumento S. Auguſtinus, cælo, & ſoli, fonti lucis totius ſtelliſque omnibus, vermem, & culicem prætulit; & vitam Philoſophi nonnulli ſupremam naturam, ſeu naturæ faſtigium vocarunt;

vocarunt; at enim vermium, & naſcentium ex putri ſi tanti vita eſt; ſi tanti Leonum, & Elephantorum; quanti quæſo hominis ad Dei imaginem conditi, at quanti animæ? (ſolius enim excellentiam vitæ corporeæ attingebant, celebrabantque Philoſophi) ſi quidem negat S. Chryſoſtomus poſſe rem vllam toto orbe cum animæ præſtantiâ certare. Negat B. Ambroſius iacturam animæ par quidquam habere, etſi mundi totius vniuerſitas pellum eat, & docet Chriſtus B. Brigittam eſſe naturæ longè melioris animam, quàm corpus, vtpote à ſuæ diuinitatis potentiâ deriuatam, immortalem, Angelorum affinem, Sole nobiliorem ac ſtellis, orbíſque totius fabrica. Mittamus per ſe corpore non egere, non eſſe concretioni obnoxiam; habere pro exemplari archetypo Deum; fontem eſſe vitæ multiplicis, quarum infima quâ plantæ vigent ſupremis excellit, atque pulcherrimis, ſed vita carentibus naturæ omnis corporibus. Ex quo iam apparet clarius, Quàm pretioſa ſit rei tantæ vita. Verùm haud paulò magnificentius ex animæ pretio cenſetur, de quo S. Bernardus.
Ep. 54. *Magna res anima, quæ Chriſti ſanguine redempta eſt; grauis animæ caſus quæ nonniſi Chriſti cruce potuit reparari;* At quàm oculati, prudentíſque emptoris, ita indicat S. Auguſti-
Pſal. 102 nus. *Initus eſt bonæ fidei contractus, nemo fallit redemptorem tuum, nemo circumuenit, nemo premit; egit hic commercium, iam pretium ſoluit, ſanguinem fudit, ſanguinem, inquam, fudit, vnicus Filius Dei pro nobis. O animâ erige*
te.

te, tanti vales. Ipſe horum ignarus Seneca, fore, ait, hominem Deo metiantur, qui prætermiſſo, corpore àd animum reſpicient; ſed eximiè Saluianus Maſſilienſis Epiſcopus *Dilectiſſimam eſſe animam ſuam homini etiam diabolus, non negauit, & qui auertere omnino cunctos ab affectu animarum ſuarum nititur, idem tamen cariſſimas eſſe debere cunctis ſuas animas confitetur. Quis furor eſt, viles à vobis animas veſtras haberi, quas etiam diabolus putat eſſe pretioſas? Quis furor eſt viles à vobis haberi quas etiam ille vobis caras debere eſſe dicit, qui viles facere conatur, ac per hoc quicumque animas ſuas negligunt, etiam infra iudicium diaboli ſe amant.* Poſt taxatam ergo his pretiis ab Deo amante, dæmone odiente, animarum noſtrarum dignitatem; quæ ſic laruæ inſanos agitant, vt eas malimus feſtucâ venales proſtituere, ac perdere quàm alterius æſtimationi credere? Benè ab ſe Chriſtus omni cruciatu qui poteſt homini infligi, animam redimi putauit: benè ab ſe dæmon ſuppliciorum incrudeſcentium nouo apud inferos auctu captari eam cenſet: Chriſtianus amens & ſtolidus, cuius maximè intereſt, quaſi ad ſe nihil pertineat, ita minimi illam facit, vt ad eam ſeruandam fraudare peſſimum genium frigidæ gutta nolit. Quid autem inconſultiſſimè, ac ſtultiſſime mortalis profutura tibi deliras voluptatum, diuitiarum ac mundi totius lucra euanida animæ tuæ detrimento parta? Quid rem vſuris aggeratam? Quid exoticos luxus, peregrináſque delicias? Quid inertem, ac de-

ſidem vitam? Quid iniurioſos faſtus & implacabiles? omnia damnum, venenum omnia; mors, dolor, exitium omnia; vnus animæ quæſtus, omne lucrum & omne bonum.

2. Hinc verò confici palam eſt, vitam animæ adeo pretioſæ, non poſſe non eſſe pretioſiſſimam, vt ſunt regio in ſceptro lapilli & gemmæ, quàm ſeorſum, longè pulchriores; Imò animæ vitam pretij dignitate poſt Deum omnia vincere: Ex quo ſtatim quædam attonita, iuſtáque indignatio mentem ferit, cùm ſpectat mortales, ad vitam miſeri corporis breuem, calamitoſam, ſempérque ancipitem, labores omnes contentionéſque conuertere; illíque non rarò animæ ipſius immortalem vitam deuouere: Ex quo vtinam ſaltem de tuendâ, præferendáque reliquis omnibus animæ vitâ decernamus. Quid enim vnquam omittitur, quod poſſe credatur ad fouendam, mulcendam, retinendámque huiuſce cadaueris fugacem vitam conducere? aut quid alio vſquam terrarum, & gentium conſilio mouetur, excogitatur, ſuſcipitur? huic tot myriades hominum, in agris, in vrbibus, in ſyluis, terra, mari, bello, pace, diu, noctu adlaborant, ſudant, moriuntur, dum animæ vitam vix curant, vix cogitant, vix occultâ ſui recordatione mordentem ſentiunt audiunt monentem, tantoperè intereſt vita tabifici corporis, tam nihili vita æternæ mentis? tanto illa honori, tanto hæc, malum! contemptui, & horrori? nihil quidem iudicio ſenſuum execrabilius corpore, quod vita deſtituit, cum vitæ neceſſariò ſucce-

dat

dat pondus inutile, cæcum, fœdum, immobile, ſenſu actúque omni carens, peſtilentem longè putorem ſpargens, effluentibus virulentam in tabem inteſtinis; huic te carcinomati tam abominando, ſi quis nouus Procuſtes iungat, componens manibúſque manus, atque oribus ora, quod tormenti genus hoc atrocius ducas, etſi duos dies horaſvè teneat? Te verò, ah! miſer, quæ crudelitas deteſtabilior, horribiliori, fœdioríque mortuo, dies octo, menſes, annum, & eo amplius ſtringit & colligat, animæ, inquam, ictu mortifero confoſſæ. Narrat B. Antoninus cum incidiſſet monachus in cadauer, mox illum nares appreſſo pallio obturaſſe, contrà, viæ comitem Angelum humanâ ſpecie latentem, ne viſum quidem grauitatem fœtoris aduertere, inde haud longe cùm cirrhatus, probéque moſcatus iuuenis occurriſſet, tum verò Angelum manus naribus obdidiſſe, mirantíque monacho reſpondiſſe; non eſſe Angelis moleſtum fœtorem cadauerum, ſed animæ lethali ſcelere confectæ, cuius teterrimus, impuriſſimúſque odor totam cæli aulam auerteret: Nec abſimile eſt, quod habet hiſtoria veterum anachoritarum. Itémque B. Catharinæ, quæ Senis cum ageret, tot milliaribus graueolentiâ torquebatur eorum quos Romæ grauis aliqua culpa inquinaret: accedenti verò ad colloquendum mulieri munditiis omnibus excultæ, adduci non potuit vt verbum redderet; quòd vti poſtea roganti confeſſario indicauit, præ dirâ mephiti, quàm mulier ex animæ halabat cadauere, vix potuiſſet

4.p. tit. 14.c.6. §.1.

capiatur quam in gradu naturæ obtinet, meliore vtique quàm ſit vita lucidiſſimorum, & formoſiſſimorum quorumlibet corporum; at multò rectius de vitâ quam haurit ex gratiâ intelligendum eſt, per quam in ordine ſoli Deo communi ſtatuitur, animatur à Spiritu ſancto, mouetúrque ab eo & agit diuinâ ratione ſuper omnem naturæ facultatem. Itaque vita hæc tam ſublimis æſtimatur ex iis veriùs quæ Spiritus ſanctus in animâ perficit, & creatis in rebus earum conditor, quàm ex iis quæ habet anima ſupra corpus; quod enim præbent corporibus animæ; hoc præſtat animæ ipſe Deus, ob idque animæ vocatur anima: & cùm traderet S. Thomas habere corpus ab animâ velut *primâ & ſubſtantiali formâ vt exiſtat & viuat*, ſubiecit illico, vtrumque hoc animam à Deo habere, quaſi ab ſummâ & primariâ formâ, idémque re ipsâ efficiente in animâ ipſo Dei ſpiritu actâ & viuente, quod ſolet animus ipſe in corpore, vnde illud Chriſti. *Spiritus eſt qui viuificat*, & *ſicut miſit me viuens Pater, & ego viuo propter patrem, & qui manducat me viuet propter me*, hoc eſt receptâ cum meo corpore gratiâ, quam accepi à patre meo vitam, vnâ recipiet; ſic vt ipſe mecum, & cum Patre, vitâ eâdem gaudeamus. Eſt autem hæc vita, ipſa diuinitas quam habet verbum æternâ generatione; Chriſtus homo diuinæ hypoſtaſis adorabili fœdere; Chriſtianus beneficio gratiæ, ad quàm planè vitam, mors licet, audenter dicatur, quicquid vitæ nomine appellatur. Quare Apoſtolus, aliam non agnoſcens, vnáque

Opuſc. de delect. Dei c. 20.

Ioan. 6.

Leſſ. de perf. diuinis l. 2. c. 12. n. 75.

que hac apertè glorians. *Gratiâ Dei ſum, id quod ſum :* & *viuo ego , iam non ego*, inquiebat, *viuit verò in me Chriſtus.* Animæ naturam intra ſuos fines id potiſſimum euehit, quod Dei imaginem refert , immortalitate , intellectu, indiuiduâ ſubſtantiâ etſi corpore toto fusâ , ſed vbique corporis totâ & integrâ. Verùm imitatio hæc Dei, quamdiu vitâ Dei & ſpiritu caret, iure mortua dicitur. At ſi eximiam principis ſtatuam transfuſus ſubeat ipſe principis animus, quanto maiori veneratione , ac metu colatur ? eumdémque ad modum quantò ſit excellentior anima Dei ſpiritu animata , quam ſolâ eius imagine ſplendida ? mentitur tibi ſenſus fallax & proditor , huius tibi animi tui vitæ tam excelſæ, quam habes cum Deo communem, cum ſuadet nundinationem ; repelle fraudulenti dolos,& blanda toxica; Quin diſce potius ex eiuſdem erga corporis vitam ſollicitudine & curâ,vitam animæ fouere,tueri,mulcere, defendere , addo & augere atque confirmare nouis quotidie viribus & hilaritate,cum ſit intolerandæ ignauiæ illâ eſſe retentâ & debili contentum , ſi poſſis firmâ , robuſtâ & alacri frui. Eſto enim , gratiam conſerues , at eius amplificandæ quot omittis lucra , tot pateris animæ detrimenta, mundi totius amiſſione grauiora. Corpori, ſi prius cognoſcendi facultas, quàm animus detur, quantis hunc deſideriis vocet , & flagitet , vt à quo expectet, caloris, formæ , vigoris ac vitæ præſidia & decus,homóque inter homines eſſe; hinc diſce ô anime ! Dei tui cupiditate perpetuò ardere , à

quo

Digitized by Google

quo es ardorem charitatis, vigorem fidei, placendi ſtudia & feruorem, elegantiam & pulchritudinem accepturus Deo & cælitibus ſpectandam, ſine quo turpior, deformiórque futurus es, quàm ſit putre, & vita vacuum cadauer.

CAPVT IV.

Adoptari nos à Deo in filios & regni hæredes per gratiam.

EX diuiniſſimo illo vitæ bono quàm nobis vná cum Dei ſpiritu gratia tribuit, oritur vt verè filij Dei, ſimus; affirmat S. Ambroſius & S. Maximus, híſque plenius S. Paulus, *Qui ſpiritu Dei aguntur eſſe filios Dei aiens*: Et *quoniam eſtis*, inquit alio loco, *filij, miſit Deus ſpiritum filij ſui in corda veſtra clamantem Abba pater, ipſe enim ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro; quod ſumus filij Dei; quod ſi filij, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi*: In quo rurſum ait *electos à Deo nos eſſe ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti, & immaculati in conſpectu eius in charitate, qui prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum per IESVM Chriſtum in ipſum ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ*, &c. Vbi ſcitè aduertit B. Anſelmus, adoptionis æternæ munus prælatum dono ſanctitatis, quaſi gratiæ ornamentum & gloriam. Hæc autem vt fiant ad

1. V. Mac. hom. 30. Lib. 1. de Spir. S. c. 4. Cent. 4. c. 86. Rom. 8. Gal. 4. Rom. 8.

ad intelligendum proniora, repetendum eſt ex memoriâ temporum cuique obuiâ, fuiſſe olim adoptandi ritum in more poſitum, ſed nunquã aliàs tam frequentem ac dum vixit inter homines Chriſtus, eiúſque Apoſtolus: huius tanta erat ritus autoritas, vt adſcitus in filium quantumuis externus tranſiret in adoptantis familiam, & nomen hæreditatis, & honorum iura perinde ac ſi foret ex eo prognatus. Quam ergo obtinuit homines inter adoptio, eamdem gratia inter Deum & homines vim tenet. Quod mirans B. Anſelmus. Si Rex, inquit, nudum, inopem, mendicum, morbis & vlceribus perditum miſertus è publico tollat, & ſanari iuſſum regalíque purpurâ indui adoptet in filium; & regni cum proprio filio hæredem indictâ per præcones toti imperio illius colendi eique parendi lege, quis eius principis inopinam magnificentiam ſatis laudare & capere valeat? Dei tamen eſſe erga nos maiorem, deinceps oſtendit vt quos miſeriis abſque vlla comparatione tetrioribus ereptos tranſlaturus eſt ac reipſa transfert in beatiora, & ſecum Deos effecturus, Fuit ſanè magnum fortunæ oſtentum Traianus Hiſpanus, ab Nerua Romano, in filium & ſucceſſorem imperij adſcitus, ſederant in eo honoris tanti non exigua merita. In nobis Rex regum, & Dominus dominantium, in nobis mancipiis dæmonum & proditoribus ad rogum damnatis, quid tandem reperit, quamobrem titulum, apparatúmque filiorum, & paterni regni ſpes certas, iuráque tribueret? ô felicem noſtram celſamque for-
tunam

tunám diuina conditam ſtabilitámque bonitate! Eſt enim aiunt Patres Synodi Sacroſanctæ, Tril.
iuſtificatio, tranſlatio ab eo ſtatu, in quo homo Seſ.6.
naſcitur filius primi Adæ, in ſtatum gratiæ & c.4.
adoptionis filiorum Dei per ſecundum Adam Chriſtum IESVM, ô diſparitatem ſtatus beatitate infinita, & infinita miſeria ſeiunctam, ex reo æternis cum Lucifero apoſtata ſuppliciis addicto, in Dei, filium & hæredem mutari nihil amplificandi, transferendíve causâ hîc dicitur; in Dei, inquam, filium attolli, ô ſublimius intelligentiâ noſtrá nomen! ô nomen dulce, nomen vnitatis; nomen hæreditatis ſempiternæ. Liceat abſurdum fingere quod eſſe non poteſt, vt fiat intellectu facilius quod verum & certum eſt; ſi poſſet in Deum interitus, in eius regnum, & diuinitatem ſucceſſio cadere, Quæ foret eius felicitas, quem ſors tanti patrimonij exciperet? atqui non alium ſpectaret præter hominem gratia præditum, vtpotè filium & hæredem, & poſt Deum, ſi fas eſt dicere, ſecundum. Quàm præclarè igitur S. Cyprianus, *Nunquam humana opera miraturum quiſquis ſe cognouerit filium Dei, & deiicere ſe de culmine generoſitatis ſuæ qui admirari aliquid poſt Deum poteſt.* Verùm patri tam bono & amanti præterea quas debemus laudes; quot quiſque millia pectorum, quàm procliuem, liberalémque ſeruitutem tam liberaliter, & abſque merito, in illius domum tranſcripti per adoptionem qua nobis donatur gratuitum, quod proprio filio debitum natura contulit. *Videte*, hortatur dilectus diſci- 1.Ioã.3.
N pulus

pulus, *qualem charitatem dedit nobis pater, vt filij Dei nominemur, & ſimus.*

2. Ad hunc amorem quem patris optimi ſeuerè à nobis prodiga beneuolentia repoſcit, iubet facta moréſque accedere parente Deo non indignos. Varronis ſententiam refert S. Auguſtinus docentem eſſe ciuitatibus vtile, vt ſe viri fortes etiam ſi falsò ex diis genitos crederent, *vt eo modo animus humanus velut diuinæ ſtirpis fiduciam gerens res magnas aggrediendas præſumeret audacius, ageret vehementius, & ob hoc impleret ipſa ſecuritate felicius.* Certè animos Alexandro non leues addidit Ammonis mendacium, & Theodoricus ad regem Herulorum ſcripſit; *Adoptat te talis de cuius gente tu potius formideris*; Nobis quos legitima, & certa non domus regiæ, ſed ſummæ diuinitatis adoptio natali luto raptos Deo, cæloque inſeruit; quo decet horrore, quibuſve odiis inſectari, vel vmbram noxæ leuiſſimæ, quibus animis ad ſumma eniti; & quod P. Baltazar Aluarez inculcabat, à magnis filiorum Dei verſandis conſiliis nunquam deſciſcere? Hîc nos Ethnicus rubore ſuffundat. *In teipſo fers Deum*, inquit, *téque eum inquinare non animaduertis cùm impuris cogitationibus, tùm ſordidis actionibus; nam Dei quidem ſimulachro præſente non auderes quicquam eorum facere quæ facis, ipſo autem Deo intrinſecus præſente, & omnia tum intuente, tum audiente, non verecundaris eadem cogitare & facere, ignare naturæ tuæ, & diis inuiſe. Si quem tibi Pupillum tradidiſſet Deus, itáne eum negligeres? tradidit*

Lib. 3. ciuir. Dei c. 4.

Caſſiod. l. 4. Var. 2.

Lud. à Ponte in vita eius

Arian. l. 2. c. 8.

Digitized by Google

tradidit tibi temetipſum, aliúmque ſe, te fideliorem negat: hunc inquit, mihi conſerua talem, qualis naturâ ſuâ eſt, verecundum, fidelem ſublimem, imperterritum, perturbatione vacuum, &c. Sed magis Chriſtianè, ac ſolidè apud ſe quiſque id voluat ſæpius, filius Dei ſum; procul à me mores, & ſtudia diaboli; Dei ſum filius, quò mihi pabula, & oblectamenta pecudis quadrupedis, quò fumi honorum vulgariũ; quò mundus totus, & quæcunque ſunt Deo minora? cupiditatis fœdæ doloſa vipera blanditur, trahit pellex gula, inflat ambitio? ſiccine, inquies, belluinum ventrem, & putrem nebulam Dei filius, pro Deo adoret, & patre, ſceptróque ſe abdicãs fiat Luciferi & gehennæ filius? ſiccine paulò ante confeſſionis ſanctæ vitali balneo amiſſam purpuram adeptus, eamdem rurſus cacodæmoni cedat, eíque in ſe ſeruum mancipet? Arcete beatiſſimi Angeli tam abominandam cataſtrophen.

Poſtremò ſileri non debet, quàm glorioſa ſit Chriſto IESV hæc noſtri adoptio, & Dei profuſiſſimæ bonitatis quàm eximium admirandúmque monumentum; quod egregiè oſtendit Guillelmus Pariſienſis Epiſcopus, Regis magni adducto ſymbolo; cui ſit quidem potens, & immenſa vi opum, infinitíſque diuitiis refertum imperium, ſed eius generis vt nec regi, nec eius filio imminui multitudine hæredum valeat; certè enim in regno præpotentis Dei cum reperiatur verè quòd in humanis exempli gratiâ fingimus, dubitari non poteſt, quin ex conſortio, numeróque hæredum, 3.

2. part. 1. part. de vn. u. c. 22.

ingens Chriſto gloria, & decus, ingens patri æterno largitatis deprædicatio accedat: nam ſi auget Imperatoris ſummi maieſtatem, exercituum, ac principum numerus, eorúmque magnificentia, opulentia & robur: ſi reges decem potentiſſimos habere ad nutum obſequentes & fidos, illius imperium mirificè ornat, quantò magis Dei optimi, maximi æternum imperium illuſtrabit diuinorum regum innumerabilis multitudo, quanto filij eius ſceptrum immortale, glorioſiùs decorabit, hæredum totidem, fratrúmque adoptio, nihil eius bonis detractura, quàm ſi vnum haberet cohæredem. Vnde ſubdit idem piiſſimus doctor, daturum propenſiſſimo animo Fratribus ſuis Chriſtum æqualem ſecum hæreditatis paternæ portionem, ſi forent illius capaces. Agamus huius voluntatis grates, explicemúſque mentis ſinus tãtæ ipſius largitati, caueamus autẽ præ omnibus, ne cum ſit in noſtrâ ſitum poteſtate, vt filij efficiamur Dei, malimus tamen probroſarum cupiditatum, & maligni hoſtis mancipia viuere.

CAPVT V.

Adoptione filios per gratiam, præſtare filiis per naturam.

1. EA eſt operum diuinorum admirabilitas, vt quamtumuis illa infirmitati noſtræ rebúſque humanis accommodet Deus, longè has tamen ac multum præcellant: habet ille vnicum naturâ

naturâ filium, adoptione quamplurimos; ſed his nomen & iura filiorum adoptio haud paulò excellentius tribuit, quam inter homines natura. Itaque plus habet de patre Deo Chriſtianus gratia inſtructus, quàm de patrè homine recens natus: nam qui adoptatur à diuite, aut rege, nihil inde propterea melior euadit, non robuſtior, coloratior, ſanior commodioris temperamenti & ſanguinis; dumtaxat loco filij legitur & futurus hæres deſignatur; Quod etſi totum opinione conſtet nihilque adoptato reipſa interiùs accedat, magni tamen fit inter homines, ac foret ſine comparatione multo pluris inter Deum & hominem, quanquam homo à Deo adoptionis præſidio nihil aſſequeretur niſi quod ab homine obtinet. Verumenimuerò quos adoptat Deus recudit verè in nouos homines, nouámque creaturam, refingit ad ſui expreſſiſſimam ſpeciem, naturæque diuinæ inſertos ſuo ſpiritu animat; ex quo intima Dei bona iuris illorum fiant neceſſe eſt; hoc eſt, ipſa illius felicitas. Quid huic affine trahunt à patribus filij? num particulam quandam ſuperuacanei ſanguinis, ad excipiendum animæ ſigillum vtcumque attemperatam, præterea nihil; non ſpiritum, non ſanctimoniam, non virtutis ſplendorem, nihil ſupra hominem & quidem ærumnoſum, & miſerum; ob hoc ſemen Dei, ſacræ literæ gratiam appellant, & adoptatos regenerari, naſci, ac renaſci dicunt, vt illos innuant, quamuis non ſint Dei naturâ filij, plus tamen ab eo adoptione accipere, quam progenitores filijs Ioan.1.

largiantur. Quæ adoptionis ſingularia decora Iacobus Apoſtolus paucis egregiè indicat. Voluntariè enim genuit nos, inquit, verbo veritatis (ne nudum putemus ſine re adoptionis noſtræ nomen, & opinione ſola contineri) vt ſimus initium aliquod creaturæ eius, vel vt alij legunt, vt principatum obtineamus inter creaturas eius. Quod ſi ex monito Epicteti, opifici noſtro innumeris tenemur titulis, vt qui nobis, tanquam viuentibus ſtatuis manu ſua fictis varietatem motuum indixit, quam violare ſine autoris dedecore nequimus; Quanto pluribus Deo patri, adoptionis iure tenebimur? Decet humano præditum ſpiritu fides, generoſitas, caſtitas perturbationum arbitrium; Quid diuino ſpiritu animatum? mancipium vile & ignotum nobis à Deo concreditum, vita quoque noſtra eſſet diligentius curandum; Quid ergo filij, quid, inquam, nos ipſi, in eius tranſmiſſi familiam, qua ſumus à nobis ſollicitudine procurandi, quibus non ſtudiis atque obſequiis agnituri, & repenſuri primariam, in quam nos extulit dignitatem?

2. Aliam innuit B. Iacobus adoptionis præſtantiam, dum nos à Deo voluntariè genitos affirmat, cum parentibus filios non electio tribuat, ſed caſus & natura, neque hanc totam illis debeant filij, ſed traductam ab iis ſolam ſanguinis portionem. At vero diuina bonitas adoptandos iudicio ſignat, adoptat volens, vltróque immerentes, & delectu quorumdam habito, alios omittit: Quod ſi partem beneficiorum animus potiſſimam obtinet, quid huic

tantæ

tantæ adoptantis Dei beneuolentiæ non debemus, niſi & eius maieſtatem, & gratiæ pretium per quam adſciſcimur, ignoramus? nam ſi paterna merita ſapientes eò extulerunt, quo nullis vicibus pertingere filij valerent; quo pacto beneficentiam qua ſumus conditi aſſequemur infinitis partibus maiorem, quo illam qua ſumus adoptati longè longius magis infinitam, & tranſactam non quolibet pretio, ſed vnici filij ſæua morte: *Nam ſi totum me debeo pro me facto, quid addam iam & pro refecto & refecto hoc modo, nec enim tam facilè refectus, quam factus; qui me tantum & ſemel dicendo fecit; in reficiendo profecto, & dixit multa & pertulit dura, nec tantum dura ſed & indigna: In primo opere me mihi, in ſecundo ſe dedit, & vbi ſe dedit, me mihi reddidit, etiam ſi me millies rependere poſſem, quid ſum ego ad Deum?* Quare homo audi conſilium aureum viri ſancti veréque aurei ſic te adhortantis. *Redi ad Deum ſic amatus à Deo, & ad illius gloriam da totum te, qui ſe totum propter te ad ſuam deduxit iniuriam, & voca patrem fidens, quem tanto amore tuum probas, ſentis, intelligis eſſe genitorem.* Pergat & quiſque noſtrum, dicátque cum S. Bernardo. *Non pepercit vnigenito, pro ſic genito (à patre carnis) ita quidem patrem ſe exhibuit mihi, ſed non ego me illi viciſſim filium. Quanam fronte iam attollo oculos ad vultum tam boni patris tam malus filius; pudet indigna geſſiſſe genere meo, pudet tanto patri vixiſſe degenerem.* Accedit quod hæc Dei benefica mens nullas inuenit prorſus in iis quos adoptat, beneficij

Bernar tract. re diligendo Deo.

P. Chryſ ſer. 70.

Ser. 16. in Cant.

neficij tanti rationes ſed abundè ponit, contra
quam inter homines ſoleat; humana enim adoptio, niſi dignum adſciſci, non adoptat; diuina vt dignus ſit agit, eóque magis eſt vo-
2. luntaria quo & donat maiora, & quamobrem
donet requirit nulla; cur damnet potius reperit multa & grauia. Quid eſt homo? reus, nudus, ſaucius, fragilis, vndequáque miſer, quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum, amorem tuum, gratiam, ſpiritum tuum? O quis hæc quis miracula videat? Rumpat aliquis omnes contentione ingenij ac voluntatis neruos, & quicquid poteſt boni cogitari in opus conferat, quicquid mali fingendo ſomniari patiatur ac perpetiatur, nec alios habeat agendi, patiendíque fines niſi quos habet mundus exiſtendi, nihil egerit adoptione illâ dignum, nihil regni Dei vlla particulâ rependendum; at verò ſemel in Dei familiam tranſcriptus, ſi vel proba mente digitum exerat; Deum cogitet, Chriſtum vocet, non ſolum adeptæ dignitatis incrementa ineffabilia promeretur, ſed hæreditatem regni ſempiterni. O admirandam conditionem filiorum Dei! quorum piæ, ac leui cogitatiunculæ nihil orbis æquale poſſidet, nihil poteſt par Deus præter ſeipſum reponere.

Poſtremò adoptiuos hominibus creat, vel imbecillitas eorum naturales deſperans; vel iuſta cupiditas habendi meliores: At Deo nec filius defuit, vnus omnium inſtar filiorum, vnus totius diuinæ fœcunditatis exhauſtus, nec acceptiorem, gratiorémque habere potuit, volun

voluntariè tamen genuit nos, eiúſque nobis verum ſpiritum indidit, vt eſſet multorum eius ſimilium ipſe pater, ille frater, & natu maximus: in quo eius amor & bonitas mirabiliter elucet, quod nos creatæ vi gratiæ non ſolùm adoptarit, ſed increati ſpiritus munere; nam communicatâ cum homine Chriſto, diuinitate ſuâ omni, voluit quicunque huic filio ſuo religiosâ fide, ac Sacramentis iungerentur, tranſire in ſortem filiorum, eiúſque ſpiritu viuere; Qui quidem ſpiritus, eſto, inſit diuinis perſonis, quòd idem cum illo ſint; homini Chriſto, quod in vnam cum Verbo perſonam conuenerit; at certè hominibus extenſione quadam ac diffuſione mirabili, qua ſanctum Spiritum in nos ſecum à Chriſto profecta gratia perducit, animi noſtri fideliſſimum hoſpitem, ductorem, ornamentum, robur, effectorem vitæ, ac viuendi magiſtrum, quo vitam viuimus ſupernaturalem & ſi fas dicere ſuperuitalem, ſed perſonis diuinis naturalem. Itaque hic nobis Chriſti Iesv & Eccleſiæ Spiritus cogitandus eſt tanquam vita ingens, nullis definita terminis, nullis potentiæ largitatíſque legibus arctata, ſed cum homine Chriſto totam alens & agitans molem immenſi ipſius corporis, membráque ſigillatim innumera, Sacramentorum præſidio eidem corpori ſub Chriſto capite inſita tanquam ramos trunco & palmites viti? Eſt enim Chriſtus ait magnus in paucis Doctor, omnium iuſtorum hypoſtaſis, cui omnes innixi, qui omnes ſuſtentat, portat, & ſpiritus ſui quem à patre accepit diuinâ protenſione

Leſſ. de perf. diu l. 12. c. 11 n. 75.

O viui

viuificat, & filios Dei facit, cuius tanti honoris cauſã ſubdit Iacobus Apoſtolus vt ſimus initiũ aliquod ſeu primitiæ, ac flos lectiſſimus creaturæ Dei, ipſique Deo chariſſimus, & iuxta Oecumenium vt ſimus primi & honoratiſſimi, iuxta Bedam, vt ſimus creaturis cæteris meliores, cum nihil adoptione hac diuinâ maius aut melius, cadere in hominem creatum poſſit.

CAPVT VI.

De Alimento mirabili adoptatorum per gratiam.

1. PAterni amoris, officiíque partes primariæ, alimenta ſunt filiorum, ex quibus ſi licet patris amorem æſtimare, quæ tandem mortalium cogitationes, quæ perſpicacitas immortalium aſſequetur, aut ſuſpicabitur tuam, Deus, in filios omnes effuſiſſimam bonitatem. Deerant ſcilicet, quibus illos potenter aleres, niſi menſam illis de vnici filij ſacratiſſimo corpore, & auguſtiſſimo ſanguine ſtrueres? ô pluſquam paterna viſcera? ô nullis cognitum, opinatúmve matribus amorem? ô ſanè poſitos in ſuperbiam ſæculorum, & regum mammillâ lactatos? neſciebat has artes natura; nihil vnquam tale erga proles ſuſceptas ſenſerat. Et verò renatis adoptione Dei, quò plus inerat de filij iure, quàm carne ſuſceptis; eò grandius quoddam parari decuit, tum patris maie-
ſtatem

ſtatem, tum filiorum referens dignitatem. Ad hoc igitur Deus, omnes laxauit amoris obices, omnes immiſit bonitati leges, omnes profudit theſauros poteſtatis, & quicquid in iis pretioſiſſimum latebat, hoc eſt ſeipſum amantiſſimis filiis in æternitatis epulum præbuit; nam quod eſt bonum eius, aut quod eſt pulchrum eius, niſi frumentum electorum, & vinum germinans virgines? Quis matrum curas hic memoret? quarum optimæ & amantiſſimæ filios duntaxat particulâ ſanguinis ſed infecti, & propè ſuperfluâ, vltróque ſtillante nutriunt, Chriſtus toto cordis, & corporis ſanguine, illóque magnâ vi amoris & cruciatuum expreſſo, carne totâ & integrâ paſcit, & eorum ex ore infantium atque lactētium perficit magnificentiæ ſuæ laudem: ludi ſunt magis laſciuientis gulæ, quàm liberalis atque munificæ, illæ ſorbilium vnionum conuiuiis præbitæ potiones, etſi non vnius familiæ, ſed orbis totius ſinguli patrimonia penderent; de magnificentiâ verò huius doni ſic inueſtigator illius mirè ſolers, cultórque maximus. *Totum*, ait, *quod ipſe eſt & habet, cum Spiritu ſancto in ſummo dedit, nihil enim eſt extra ſpiritualem, corporalem & diuinam naturam; cum ergo corpus & ſanguinem filij ſui Deus Pater ſub Sacramento dedit tunc corporalem ſubſtantiam in ſummo contulit: quando verò animam eiuſdem filij dedit, tunc ſpiritualem ſubſtantiam in ſummo tradidit, cuius anima omnibus Angelis & ſanctis animabus perfectior gratiâ in omni ſanctitate fuit: Inſuper in eo totum diui-*

Pſal. 8.

S. Tho. Opuſc. 63. de Beat. c. 6

nam naturam obtulit; Tanti pretij lacte Deus filios ſuos alit tam ſumptuoſis epulis ſuſtentat, vt agnoſcant partæ per lauacrum ſanctum, aut confeſſionem, gratiæ dignitatem, acceſſuríque ad menſam regiam, attendant cui labra pectori applicent, quàm forti ac nobili cibo foueantur, nempe quo Deus nedum mundus maius & dulcius nihil habet; Creſcant in Domino, & creſcere contendant, ſuíque ſemper, ſpretâ humo ordinis, locíque meminerint & Deo omnia, ſéque adeo ipſum tam prodigè & integrè donanti negare aliquid erubeſcant.

2. At quo pacto & modis quàm inopinatis, nouíſque donanti? mutatis ſuſdéque naturæ legibus exaggeratis miraculis, demiſſa ſui numinis maieſtate. Quanti Deo non ſtetit id poculum vnici filij ſanguine temperatum? corporatio Verbi, mors ſæua filij, panis ac vini externa ſpecies, deſtructâ propriâ, primùm in alienis recénſque productis, apparens, non hærens, ſubſtantiis, dein cùm deficit, propriæ reſtituta, maiore prodigio, quàm ſi verteretur in elementa cælum: Eadem ſpecies externa, quanquam natiuo ſuſtentaculo deſtituta, impreſſas admittens affectiones, queîs conſueuerat; Chriſtus immenſitate quadam diuiduâ, non minus verè in ſingulis conſecrati panis orbiculis, horúmque partibus quàm paterno dexter in ſolio: Porrò hæc omnia tam breui, tam ſubito, tam potente verbo repentè confici, vt ſi nuſquam foret in mundo Chriſtus, eſſet verbi eius efficacitate momento futurus. Mitto ſingula diſtinctè membra; mitto ani-

Cypr. de Cœn. Ambr. 4 de Sacr. Dam. Tertull. Leſſ. Scot.

mam

mam ſuis fulgentem virtutibus, felicem gloriâ, diuinitate omnia continentem & demum quicquid eſt cum hac animâ iunctum & corpore, vocis eiuſdem repentino velut imperio, ad modum rerum concretione carentium, in hoc ſacro arcano collocari, Chriſtúmque ſe nobis ſimul toties præbere quot poteſt in puncta partium hoſtia quæuis comminui. Ah! tandem tuus, tuus tandem, mi Deus, ſemel omnino ſim, qui meus toties totúſque tam pridem eſſe pergis? Sacerdotum præterea numerum orbe toto poteſtatis certam perpetuitatem nullis aut ipſorum, aut alterius cuiuſuis periclitantem ſceleribus nullo labore difficilem, nullis legibus minuendam. Quid huius epuli fructus æquè mirandos cenſeam? gratiæ incrementa, vigorem animi, virtutum robur; procliuitatis prauæ antidotum, caſtimoniam corporis, & coniunctionem noſtri cum Deo tantam vt fiat caro hominis, Chriſti caro, vi cuius excitanda ſit è tumulo rediuiua, tametſi reliquis, eius cibi expertibus ad vitam reditus non pateret. Cuncta denique in hoc diuiniſſimo alimento, rara, magnifica, excelſa, admiranda, præter quæ omnium etiam quæ mirabiliter vnquam egit miſericors, & miſerator, hominum conditor, ſaluator & glorificator, memoriale, ac monumentum eſt; iii quæ ſe quiſque latius animo expandens, ſuam dubio procul adoptati perſpiciet, ac venerabitur nunquam ſatis perceptam dignitatem.

Huic enim parandæ, huic amplificandæ, ac in nobis alendæ tam portentoſis operibus, tot 3.

admirandorum oſtentis, tam multiplicibus, tota Dei potentia laborauit (& certè hamis aureis piſcatur nemo, nemo auro diluto vitam amat fulcire triuialem) vt nihil iam ſibi reliquum feciſſe videatur. Quod ſi naturæ inſontis leges, in hoc nobis tam honorifico, fructuosóque gratiæ argumento, miſcere, atquè infringere noſtrâ causâ minimè renuit. An eius causâ, quin imò & noſtrâ, perduellis noſtræ nefarios impetus frangere renuemus? An prauitatem nobis cognitam forti brachio in rectum torquere? an laceſſentes animum membrorum leges peſſundare? an quidquam moliri & facere, quidquam ſpernere, ac prætermittere tædebit? Deo moliente, creante, patrante tot inuſitata, vt nobis vitam gratiæ ſuſtentet, nomenque filiorum, quod ſtolidi & pluſquam amentes, turpi, aut falsâ cupiditatis illecebrâ, parario dæmone cauponamur. O ingratam noſtram ac belluinam tarditatem! progreditur Deus extra communis prouidentiæ limites, vt inde nobis inſueta conflet gratiæ tuendæ præſidia; nos extra orbitam pigræ, ſibique deditæ naturæ piget vnguē tranſuerſum egredi. Quid hoc ſacrilegij, quid horroris & incantamenti Deus immortalis? adoptione toties iteratâ traditam Deo mentem, læſo ipſius, irritóque amore, conuolare in Luciferi brachia, voluptatis ſpurcæ malè diſſimulatâ laruâ blandientis; paternis manibus vngues teterrimi dæmonis præferre, patréque ac Deo, eiúſque miſericordiæ adinuentionibus omnibus ludibrio habitis, conceſſam tanto molimine purpuram,

ram, & adoptionis titulos lacerare? & poſſunt hæc horribilia in hominem cadere, niſi homo eſſe deſierit? Obteſtor per illud quo veſcimur Chriſti corpus,& ſanguinem, ne indignos hoc pabulo ſpiritus, ne degeneres auctus, ne tam ſumptuoſo alimento vitam ducamus indecorem, *ſed quaſi modò geniti infantes, rationabiles, ſine dolo lac concupiſcamus*, infantes vitæ illibato nitore; ſimplicitate morum, terrenorum ignoratione, procul mundanæ fuco prudentiæ, dolis procul, procul irâ & cupiditate, ſed creſcendi præcipuè ingenio,& docilitate pueri, donec in virum perfectum euadamus, & capacem hæreditatis adeundæ.

CAPVT VII.

Veram Deum inter & homines amicitiam gratiâ copulari.

PRærogatiua hæc diuinæ gratiæ quanti ſit, tum demum ſtatuetur, cum de illa clarè conſtiterit. Conſtat autem valdè perſpicuè ex illa Chriſti IESV ad ſuos conſolatione, *Vos amici mei eſtis,& iam non dicam vos ſeruos, ſed amicos*, parum videlicet,ô ſuauiſſime,& amantiſſime inutilium ſeruorum Domine, parum, inquam nobis futurum fuerat,ſi tanta in domo aut mercenariæ operæ aut ſerui ſaltem degeremus: quin vel famularemur cuipiam tuorum principum Angelo? Quænam hæc amo-
ris

Ioan. 15.

ris (irreuerenti verbo ſit venia) ſed quæ tua amantis ab te ipſo alienatio, vt nos in amicitiam adſciſcas intimam, & habere amicos geſtias? Obſtupeſce anima mea dignatione Dei tui erga te. Nobilitauit te ô homo Deus imperio rerum ſenſu rationali carentium, quas omnes tuis pedibus ſubiecit, cúmque animantibus domineris, quid mirum ſi ſaltem pareres Seraphinis? at ne hanc quidem tibi præſtationē impoſuit, ſed nobilitatis tuæ libertatem in ſuperiora etiam porrexit. Solus Deus verè eſt Dominus tuus; ſed admirare & gaudio impar, præ lætitiâ morere: Iubet vt ſis amicus cui ſeruus eſſe debueras. Nam ſi verè *beatus, qui inuenit amicum verum*, quid ille qui inuenit amicum Deum; Ac ſi philoſophis quibuſdam viſum eſt, imò & S. Thomæ, eſſe nonnunquam amicitiæ vincula, cognationis iure potiora, monéntque Theologi poſſe talem quandóque amicum reperiri, vt ſit plus patre diligendus, quanti apud nos eſſe debet, quod amicitiam Dei nobis conciliat: non ſunt neceſſariò pater, & filius amoris nomina, cum poſſit vtrumque, ſecluſo amore, conſiſtere; amicus verò omnino non poteſt. Ad hæc ferè amor non vſque adeo in natis, & patribus perpurgatus, rationibus propriis vel innititur vel iuuatur; in amicis, ſi modò veri ſunt, tam caſtè verſatur vt vterque contemptis propriis vnas amici ſpectet rationes. Demum pares amicitia, vel admittit, vel facit, nec fert amantium inæqualitatem. Exclamat itaque Gregorius Magnus. *O quanta eſt miſericordia conditoris noſtri! Serui digni non ſumus,*

Eccl. 25.

Opuſ. de dilect. Dei.
Vict & Suarez de char. diſp. 9. ſect. 4.

ſumus, & amici vocamur : quanta eſt dignitas hominum, eſſe amicos Dei : nam Regi tanto debita ſeruitus, cùm ſit regnis, ſceptriſque nobilior, amicitia quæ amantes nectit, & ex illo & homine vnum facit ; quo tandem loco habend aeſt ? hom. 27 in c. 15. Ioan.

2. Eò planè quò ſapientiæ principes non valuere pertingere, ſed cùm de animæ dignitate mandata plurima, & ſuperba iactaſſent vltrà quàm veritas, & religio ſinebat, vt etiam ſcriberent particulam eſſe ex diuinâ decerptam ſubſtantiâ ; negarunt tamen Deum inter & homines veræ amicitiæ locum eſſe, ob diſcrimen illorum infinitâ intercapedine diſiunctũ. Adde quod reges de quorum exemplo argumentatur Philoſophus, nihil vetat cuipiam ſubiectorum inſigni & grato, eius vnius causâ benè velle, cùm maieſtatem conditoris non ſapiat talis erga ſuum opus affectus, ſed redire in ipſam illum oporteat, tandémque in illa quieſcere. Eſt nihilominus excellentia gratiæ diuinæ tanta, vt veriſſimam & ſummo iure perfectiſſimam hominis cum Deo amicitiam ſtatuat, prouecto ſcilicet in eum æqualitatis modum, ac ſimilitudinis homine, vt iam non ſit Deo nimium decolor, nec eius amicitia Deo indecora : *Nimis honorati ſunt amici tui Deus, nimis confortatus eſt principatus eorum*; vt enim fiant amicitiâ illâ digni, attollit eos gratia ex peccati cœno in apicem incomparabilis honoris, eiuſdémque cum Deo ordinis, in quo proinde non poſſunt duo infinitis ab ſe ſpatiis diſtare. Sic fit ex miſeriis, & malignitate con-

Ariſt. l. 8 Eth. c. 7.

Suar. tract. de char. diſp. 3. ſect. 2.

Digitized by Google

cretus homulus Dei verè amicus, cuius infimâ ſeruitute terribiles illæ Seraphim acies alioquin amicæ gloriantur; cuius muneris decus expendens B. Cyrillus, amicos ab illo, cui omnia ſeruiunt, non ſeruos dici obſtupeſcit, diuinorum cuſtodes mandatorum, atque in omnibus deinceps pro amicis tractari. Sanè vel hoc ſolum ſi gratiæ ineſſet, vt nos effingeret diuinæ amicitiæ capaces, quis non illi honorem ac vitam millies deuoueret; nunc re ipsâ & ſeuero iure cùm Dei amicos efficiat, an eſſe aliquid in nobis poteſt quod non ei vltrò poſtponamus, cum in ea ſola omnia teneamus
Eccl. 6. immenſis cumulis meliora. *Amicus fidelis protectio fortis, qui autem inuenit illum inuenit theſaurum; amico fideli nulla eſt comparatio, & non eſt digna ponderatio auri & argenti contra bonitatem fidei illius; amicus fidelis medicamentum vitæ, & immortalitatis, & qui metuunt Dominum inuenient illum.* Quæ ſi de amicitiâ hominis ad ſecuram vitam mortémque perutili, ab ſapiente dicta accipias, quantò vberiùs atque præclariùs de amico Deo. Væ nobis ſi hac amicitiâ excidamus, vnà enim iis bonis omnibus euertemur, & ex potentiſſimo amico, capitaliſſimum experiemur inimicum. Non eſt amicitiæ tantæ momentum leue ac liberum; Quàm enim optandus verè ac ſolidè amicus, tam eſt pertimeſcendus certò, vehementérque inimicus; & quantò amicitiis omnibus Dei vnius amicitia excellit, tantò gerit formidabiliores in hoſtem inimicitias, quàm poſſent à cunctis ſimul hominibus exerceri.
Da

Da hominem quem omnes oderint, nullus ferre oculis, vel auditu poſſit, nemo quin lubens illius ſanguinem ſorbeat, & vitalia depaſcatur; hunc tu poſſe dormire, edere, partem quietis vllam admittere, aut vitam viuere arbitraris? At quantò miſerior, qui Dei offensâ ſeipſe contaminans, illum ſibi fecit infenſum; & ſub tanti Regis, adeóque irati, potentis & integri ferro vindice perpetuò incedit? Quis huic calamitoſo ſomnus, quid in vitâ gratum, aut tolerabile; quæ furiarum induciæ ream mentem cæco verbere dilaniantium? Da è contrario, quem omnes diligant, obſeruent, prædicent, ferant in oculis, & imo pectore, certatímque muneribus ditare, obſequiis colere, adeundis quoque vitæ periculis deuincere conſtanter adlaborent: huius etſi minimè dubia videtur felicitas, quàm tamen prorſus nihili eſt ad felicitatem animæ Deo gratæ, cuius in illam amor parentum omniam ac ſponſorum amores nobilitate, præſtantiâ, fauſtitate poſt ſe longiſſimè relinquit? O tuam Iesv dulciſſimam, & exuberantem bonis omnibus amicitiam! ſordeant nobis præ illâ purpuræ & ſceptra; deliciæ amareſcant, vita ipſa mors ſit; fert illa ſecum vitam, voluptates, regna & omnia; extra illam, quicquid malorum eſt & calamitatum vitari non poteſt. Iam ſortem quam diximus omnibus chari, omnibúſque exoſi, ſi quis pronam vtrímque ac facilem ponat, quid non ſit laborum ſubiturus vt illâ fruatur; quid recuſaturus moleſtiarum, ne hâc inuoluatur; quæ non pericula & damna

Digitized by Google

ſubiturus, vt periculo defungatur è ſorte illâ beati omnium amoris in ſortem incidendi communibus mortalium odiis damnatam? in quam ſi fortè prorucrit, quæ poſſit hâc lamentabilior edi cataſtrophe? niſi heu! multò miſerabilior ac deteſtabilior iactura gratiæ, quâ Dei amicus, hoc eſt Regis ſupremi vnicum acceptiſſimúmque delitium, in ſpectrum dæmonis vertitur violatæ immani ſacrilegio amicitiæ Dei ſanctæ, lethalibus odiis vrendum.

3\. Quas enim pœnas ille non prouocat, qui planè gratuitum Dei ſui amorem, tanto ingrati animi ſcelere eiurat: nam, quod eſt maximè aduertendum, amicitia hæc, quâ Deum nobiſcum gratia coniungit, propriarum caret aſpectu rationum, Deo nec opus, nec vſus eſt, nihil ſpectat in eo quod proſit, niſi nobis tantùm, quibus non ſibi nos ipſos amat, non compendium quoddam ſuum. Hoc verò gratiæ, & eorum quæ illā ſequuntur ſplendore, quid poteſt pulchrius inueniri, quod ipſa vnicus Dei operũ ſit ſcopus, & ad eam colliment ad vſque minimum impulſæ arboris folium vniuerſa; totus habitat in hoc Deus, totus in eo eſt, vel vt ſimus, vel quòd ſumus ipſi gratioſi. O execrabilis & vecors! qui hominis cuiuſuis, aut rei fiduciâ tam caſtum abdicas, & potentem amicum: ô deteſtande! qui mundi gratiæ, idolo palam vbique proſtanti Dei gratiâ, litare non dubitas; cui potes fidere qui ſua non quærat, tua non negligat, aut nolens omittat? cui cælum Deus, cui terram eiúſque ornatum, cui vitam & ſanguinem filij ſui dedit, cui adoptionem,

nem,& hæredum iura?num ſibi,an potius amicis? imò, ah! bonitas, vt amici fierent, etiam inimicis: imò eſſe illud diuinum, & quicquid poteſt ex diuinitate vtile proficiſci, nobis cupit,nobíſque condonat,ídque noſtrâ cauſâ,non ſuâ; ſuam modò ex iis gloriam repetens, ſed noſtram non excludens. Quæ quidem noſtri, ſua cauſa, & per ſe nullius interpoſitu,amandi ratio mirifica eſt eius amicitiæ pulchritudo, tantúmque abeſt vt ei officiat, vt nobis potius expoſtulandi materiam daturus fuiſſe videatur, ſi nos aliter amaſſet. Quem enim lateat multò nobis tum glorioſiùs tum magis expetendum, amari à Deo propter Deum,quàm propter nos, eiúſque gratiâ quàm noſtrâ? Certè quantum inter nos Deúmque intereſt, tantò nos propter ſe nobilius, quàm propter nos diligit; duobus ex iis quæ inſunt cuilibet operi diuino, vtilitatem nobis quâ egemus, & gaudemus remittit,gloriam retinet, quam vt ab ſeſe abiudicet, integrum illi æquitas non ſinit, ſed in noſtrum decus cedit hæc ipſa illius gloria, & eam requirens nos amat perfectiùs. Quò verò tandem humanus animus, vltrà ſortem hanc magnam diuinæ amicitiæ adſpiret præſertim facilem, & procul ſudore, & iactationibus vrbanis parabilem, de quâ eſt pulchra vox vnius ex illis, quos eæ diu agitarant, reſipiſcentis denique ac ſodalem pariter deceptum reuocantis. *Dic quæſo te, omnibus iſtis laboribus noſtris quò ambimus peruenire? Quid quærimus? cuius rei cauſâ militamus? maiórne eſſe poterit ſpes noſtra in Palatio, quàm vt amici Imperatoris ſimus?*

mus? & ibi quid non fragile, plenúmque periculis? & per quot pericula peruenitur ad grandius periculum? & quando iſtud erit? Amicus autem Dei, ſi voluero, ecce nunc fio; Et poteſt hic honor tutiſſimus, & immenſus frigidè appeti, neglectim ſeruari, mercede fœdiſſimâ proiici? Nos enim Deus nunquam, quod ad ſe attinet, amicorum numero expungit; tantum ne ſanctas quas nobis fideliter, & clementiſſimè tuetur amicitiæ leges infringamus, ſit nobis cum illo communis ſenſus, voluntas eadem & voluptas, idem amor virtutum, rerúmque diuinarum. Quanquam enim aiunt Philoſophi, non eſſe amicitiam virtutem quampiam priuatam, ſed eſſe omnium ſtudium, vsúmque decernunt. Quàm ſuperba & magnifica res! virtutes Deum cum illo quem diligit homine; hominem verò cum amante Deo cunctas exercere, & hac ſimilitudine virtutum veluti anchorâ amicitiam fundare.

CAPVT VIII.

De inexplicabili amore Dei erga homines gratiâ præditos.

1. Bernard Serm. 5. in dedic. QVid eſt homo quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum? iuuat enim hanc iterum & ſæpius admirationis vocem repetere. Quid? ſine dubio vanitati ſimilis factus eſt; ad nihilum redactus eſt; nihil eſt.

Quomodo

Quomodo tamen penitus nihil eſt, quem magnificat Deus? reſpiremus fratres; etſi nihil ſumus in cordibus noſtris, fortè in corde Dei poteſt aliud latere de nobis. O pater miſericordiarum, ô pater miſerorum, Quid apponis erga eos cor tuum? Scio, ſcio, vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum; Quomodo ergo nihil ſumus, *ſi theſaurus tuus ſumus?* non planè aliam ob cauſam, niſi ob gratiæ theſaurum, quem vaſis fictilibus portamus. Quanta gratiæ pulchritudo, quàm formoſus nitor, qui cor Dei ad ſeſe rapiat, eiúſque amorem occupet, non qualemcunque ſed immenſum? Gradum enim primum violatæ charitatis hunc ponit Richardus à S. Victore, vbi mens non eſt deſiderij ſui compos; alterum cùm nequit illius obliuiſci; Tertium cùm ei aliud ſapere nihil poteſt; Quartum & vltimum, cùm nec poteſt eſſe illius magnitudine contenta. Primum vocat inſuperabilem quod nulli cedat affectui: Secundum, inſeparabilem, hoc eſt ſic memoriæ hærentem, vt excuti ex eâ non poſſit; Tertium, ſingularem, vt qui ſocium non ferat; ſupremum, inſatiabilem cui ſatisfieri nullo amoris pabulo valeat. Et quidem hæc violenti amoris eſt pictura viuis expreſſa coloribus, quo tamen haud vſque adeò mirum eſt hominem cælitùs in Deum abripi, ſummè bonum atque amabilem; at verò Deum eodem erga hominem ardere, limum ſuâ ductum & fictum manu, hoc verò fieri nullo modo valet niſi limo huic pretioſum quoddam, admirandúmque inſeuerit, cuius inexplicabili fulgore, ac pretio

Lib. de Grad. viol. charit.

tio

tio capiatur, fiátque propterea homini flagrantiſſimâ charitate, & familiaritate incredibili, iucundiſſimus, ac perpetuus amicus.

2. Rich. Victor. de grad. charit. 1.9. Quid enim fortius illâ charitate, quæ omnium Dominum omniúmque potentem expugnauit, & amore victum, ſeruum omnium effecit? hæc paterno direptum gremio in terras deiecit, quâ tam inſigni victoriâ, non humanas ſolùm miſerias, ſed armatam æquiſſimi vindicis iram debellauit? Ita eſt, inquit, S. Baſilius Seleucenſis, diuinitatis natura, vt omnium victrix, amore hominum vincatur. Quare ſponſam, amicam, & formoſam, hoc eſt diuinâ florentem gratiâ, ſponſus cæleſtis, terribilem indicat, velut inſtructam exercituum aciem, rogátque oculos quaſi tum bellicos amoris, currus tum verò triumphales paulùm deflectere, ne ipſum ſibi abripiant, & in iis quos amat extra ſe defigant; Quod eſſe Deo amanti proprium S. Dionyſius adnotat, vocátque proptereà immenſam hanc eius charitatem exſtaticam; & Gerſon, quamuis Deus immenſus ſit, ab illa quodammodo immenſitate ſuâ deſciſcere, hominum quos amat victum charitate, gratioſorum ſcilicet; ad alia enim Sacroſanctus hic amor non pertinet. Ac eſto, ſit quædam humani amoris exſtaſis; ſed manca & mutila, quæ ſolum amantis affectum in amicum transfert; Deus verò cum ſit perfectionis infinitæ, in eos quos diligit, amoris exſtaſi perfectiſſimâ tranſit, nec tantum affectu, beneficiis, recordatione, ſed re ipsâ, totáque ſubſtantia transfuſus in iis neceſſariò habitat, nec poteſt ab iis

Orat. 4. in Gen.

De diui. nom. c. 4

quos

quos ſuæ gratiæ ornamento iam ſibi fecit amabiles, aut amorem auertere, aut præſentiam illam ſuam, quam ſuperiùs explicuimus ſubducere; tanta eſt amoris quo ſibi gratos complectitur, támque inuicta potentia. Iam quod idem amor tenaci & indiuiduâ recordatione Deum amicis nectat, Deus ipſe teſtatur, charitatis ſuæ erga animam gratia decoram, ex ſynagogâ nobis tabulam exhibens; *Numquid obliuiſci poteſt mulier infantem ſuum; vt non miſereatur filio vteri ſui? etſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiſcar tui.* Vt enim eſt illius bonitas numeris omnibus abſoluta: Sic ſollicitudo paterni pectoris in filios, omnes parentum curas & ſedulitatem ſuperat, à quibus, velint, nolint relicti, à Deo ſuſcipimur; ſed non vnâ conſtat cogitationis de amico perpetuitate, nexus iſte amoris nunquam diuellendi, verùm intimâ ipsâ, ſtabili, ac firma Dei amantis, & Spiritus ſancti præſentiâ, atque ſubſtantiâ, vtpotè quàm perfectiſſimæ, perfectiſſimi Dei nobiſcum amicitiæ ratio exigit ac facit, quanquam non valeat inter homines, quòd imperfecti ſint, reperiri. Quàm ſit tertio loco conſortis impatiens hic amor, ex eo patet, quod præter homines gratiâ donatos ad eum nemo, ac nihil admittitur; & hanc fortè ob cauſam amicos omnes, vnius columbæ, vnius perfectæ, ac ſponſæ nomine compellat, quæ amoris ſocium non agnoſcit: Ingens planè diuinæ amicitiæ fides, quæ tam ſingulari Deum nobis obſtringit nexu, ac ſi nihil eſſet ab eo præterea in orbe amandum; & verò aliud nihil eſt, eius

Iſa 49.

Pſal. 26.

Suar. l. 12. de Deo trin. c. 5. Vid. ſup. l. 2. c. 1.

Cant. 6.

amore dignum pleno & integro, præter mentes gratiâ decoratas. Poſtremò inexpletum diuinæ in homines ardorem charitatis, nec infinitate contentum ſuâ, ſed poſt deuoratas tot annorum ærumnas, & pœnarum modos, etiam ſitientem, nec dolorum atrocium aquis torrentibus reſtinctum, & in mortuo corpore ſcrutantem lanceâ nouam ſui paſcendi materiam, hunc, inquam, ignem omnia conſumentem, & cui nihil ſufficit, quis poſſit, vel auſit accedere propius? Vſque adeò tibi, ô nimium bone, nimíſque liberalis tua beneficia exciderunt? nec memor tuæ, dum orbem conderes, in noſtra commoda occupatæ omnipotentiæ; neque Verbi tui ex prodigio corporati, quo edi maius non poterat; nec annorum illorum triginta trium, quibus totius vitæ ærumnoſiſſimæ labores omnes in ſummâ inopiâ exhauſiſti etiamnum exclamas ſitio, nec amori tuo ſatis eſſe factum expoſtulas; quid illa tot ſurſum, deorſum per Galilæam, Iudæam, Samariam ſudata, continuatáque itinera? Quid deſideria cruenti calicis, & baptiſmi tam dulci, quam acerbo morſu animum depaſcentia? Quid ſanctiſſima illa abſque numero opera, quorum vel minimum, dum ſaluti noſtræ redimendæ ſat erat, amorem tuum explere debuerat; illa in horto ſanguinis adorandi guttarum tot millia, quarum vnica tantum, mille mundos pretio, ac pondere vincebat, vincuntur hæc tamen ſiti amoris tui inſatiabili, nec valent eius incendia ſedare. At ille, me miſerum! ignominioſæ mortis, & tormentorum

immanium

immanium immenſus oceanus, fuit, ſcilicet aquarum indigus, tibique illas parcius miniſtrauit? Verùm ſint ſanè, ſint earum conceptacula his etiam maiora, tua inexpleta, tua inuicta, inexpugnabili charitate inardeſcit hæc ſitis, conferendarum opum cæleſtium nunquam ſatur futura. At enim totum cum rebus creatis iam orbem tenemus; totum ſuis cum opibus filium; totum cum illo, ac tecum, pater miſericors! diuinum Spiritum: Tibi quod dones, quid reſtat præterea, aut quo illam amoris tui ſitim ardentiſſimam, ſoleris, niſi horum bonorum tuique ſæpius iterata, & perpetuata donatio.

O beatitatem animæ, Dei gratiam poſſidentis, quam, omnium potentis Domini, inſeparabilis, indiſſolubilis, conſortis impatiens, &, quod caput eſt, inexhauſtus amor intimo ſibi complexu aſſerit; hoc ſi tantummodo gratiæ ineſſet boni, an poſſet illius iactura cunctis mundi totius diuitiis, & voluptatibus penſari? nam dulce quidem eſt amari, verùm tali amore & tali ab Rege diligi, tantùm eſt, vt ſupra fidem ſit, poſſe huic aliquid anteponi eóque ſtuporis, atque inſaniæ hominem deuenire. Quod ergo monſtrum ſit nefandæ animæ, pretioſum hunc parentis optimi, ac Dei amorem, abdicatione gratiæ violantis, agnoſcant, & horreant perditiſſimi quique illius amiſſæ, & proiectæ rei. Deum ab homine ſuſceptæ gratiæ tenaci adeò nihil poteſt reuocare, vt ab ſe priùs quodammodo, hoc eſt ab gloria, & vita quàm ab hominis amore diſceſſerit; homo rei cuiuſ-

libet minimæ obtentu, proh ſcelus! illum prodit: nemini Deus vllam ſui huius amoris partem, præterquam probis & piis impertit; homo, quem Deo amorem debet, rerum caducarum, quàm vago, quàm vano, quàm turpi affectu adulterat? Expleri Deus amando, mulcendo, beneficiis congerendis nequit; homo tam prodigi amici cauſâ, ſi pedem mouerit, fatiſcit. Huc, huc Dei amici, huc fida eius amori pectora, hæc ſimul ingrati animi propudioſa dedecora, ſi minus aliter poſſumus, fletu, ac lacrymis deploremus; huc tuas, Hieremia, lacrymas, mœrores huc tuos ſanctiſſime Tobia; tuam, Helia magne, triſtitiam: proculcatur ab hominibus Dei amor, & in eius profanatione Templum Dei ſanctum, populus, atque Altaria proculcantur; ſtemus ex aduerſo indignantes, & ſacrilegij deteſtationem oppoſitis moribus, conatibúſque ſanciamus; rependamus Deo, amatori fideliſſimo, amorem nullis impugnationibus ceſſurum; continenti ſollicitudine, nos & noſtra verſanti viuacem eius lætámque memoriam alienos amores & imagines reſpuentem; ſingulari nos beneuolentiâ complectenti totum pectus, totúmque animũ, nullâ inde parte in affectus alios decerptâ; æternum beato, & nullius egenti, nos tamen charitate perpetuâ, inſatiabili, æternáque amanti, quantulum poſſumus, quantulum viuimus, egeni & miſeri amorem reddamus, & bonum facientes non deficiamus, cùm futuræ meſſis tam pridem ab illo, tam vberes, diuturnáſque primitias metamus; nunquam velle

amor

amor deſinit quod poteſt, & poſſe ſemper plura deſiderat.

CAPVT IX.

De pulchritudine quam confert animæ gratia.

SIt ſanè hominis nunquam otioſus & ignauus amor, at illum vires plerumque deficiunt, nec valet quod optat amico præſtare; longè aliter Dei amor, cui enim aliquid boni deſiderat, quod eſt propriè amare, hoc ipſum deſiderando præſtat, nec poſſunt diuinæ voluntates ſuo exitu carere: afficiuntur homines formæ pulchritudine obiectâ, Deus ab ſe creatâ; illi deformatam, amando non corrigunt, Deus etiam nondum natam, amando & volendo creat, cúmque incredibili affectu ſibi gratioſos proſequatur, neceſſe eſt illis formoſitatem ineſſe mirabilem, gratiæ comitem, partúmque diuinæ in illos charitatis; Vnde B. Auguſtinus, *Naturam humanam in rebus creatis excellentiſſimam, cùm à ſuo creatore ab impietate iuſtificatur, à deformi formâ, formoſam* ait *in formam transferri.* Legimus verò in Societatis IESV literis annuis, quemdam ex adulterio perpetrato tantam oris totius deformitatem retuliſſe, vt refugeretur à familiaribus & vxore, domóque ab iis arceretur, quod ille prudenter flagitio tribuens, mox ad reme- 1.

Lib 15. de Trin. c. 8.

dium confugit, ſed cùm eum religioſi viri pariter horrerent, agnitus demum à Dei famulo, & ritè de peccatis auditus, illico euaſit in alterum, & decenti ſplendore, ac elegantiâ formoſus, rei conſcios ſtupefecit, & hâc quidem formæ auguſtæ ſpecie nihil æquè Salomon in animæ ſanctæ Epithalamio celebrat: Qualis verò, & quanta illa ſit, non eſt mortalis exponere; nam ſi natiua animæ pulchritudo formoſitatem ingenitam omnium corporum, ac pretium tranſcendit, quid eius ductus à gratiâ decor, cui abſque vllâ comparatione venuſtas animæ natiua longiùs concedit, quàm huic natiuæ venuſtati, elegantia naturæ cuiuſuis corporeæ. Eam quidem eſſe Bloſius affirmat animæ ſpeciem nullo peccati næuo maculatæ, vt, ſi poſſet oculis videri, eſſet admiratione & gaudio alienatura intuentes. B. verò Senenſi Catharinæ cùm eamdem patefeciſſet Deus, lambebat oſculis eorum veſtigia, qui conciliandis cum Deo hominibus ſuam operam nauarent, & extra ſe poſita, impóſque alterius cogitationis; Ah, vidiſſes Pater: aiebat Confeſſario, quæ ſit animæ pulchritudo gratiâ ornatæ, profectò vel vnius causâ, mille mortes libenter oppeteres. At ſi tantum à nobis alienæ gratiæ meritis debetur, quantum propriæ conſeruandæ, atque muniendæ? Beatum Ioannem amoris diſcipulum, & gratiæ magiſtrum, Transfigurati Chriſti, reſúrgentis, cælúmque repetentis apprimè conſcium, ea tamen Angeli comparentis admiratio defixit, vt captus pulchritudinis maieſtate (haud puto illius ſupernaturalis

cuius

culus pati radios nequiuiſſet, adorandum cenſeret, niſi ab eo vetaretur. Ipſe Chriſtus hâc tantâ ſanctarum mentium ſpecie in terras pellectus B. Brigittam docuit, fore, vt ſi eam cerneret, præ animi gaudio, quaſi vas putre ſolueretur, concideretque exanimis: Sanè oculi non ferunt ſolem nube opacâ repercuſſum, etſi præter vnos in eâ radios nihil habeat; & nihil reflectat, ſic non modo diuinos conſpectus pati mens hominis non valet, ſed ne ipſam quidem illorum imaginem, quam inſtar lucidiſſimæ cryſtalli expreſſam reddit anima Deo grata, & quam de ipſius non tantum radiis concipit, verùm de ipſamet æterni ſolis præſentiâ, atque ſubſtantiâ: nec. B. Franciſcam arcanum hoc latuit, cùm ei Angelus diuinitùs adſtitiſſet, ad cuius lucem immensùm fulgurantem, ſol ipſe fuſca nubecula videbatur.

Verùm cœleſtibus aſſuetos ſpectaculis ſupremarum mentium oculos mirabilius eſt pulchritudine gratiæ tam vehementer capi, vt ad ſubuectam eius præſidio animam attonitæ proclament. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto deliciis affluens, innixa ſuper dilectum ſuum?* Quibus non ſemel editis vocibus vnà gratiæ ſublimem gloriam in quam attollitur, & ſolitudinem peccati ex quâ educitur horrore vario fœdam, ac deformem graphicè deſcribunt. Explicat verò S. Chryſoſtomus, inducto ſymbolo miſerrimi hominis & toto corpore ſaucij leprâ, ſanie, ſenio dilabenti; curatione verò ſingulari redditi florentiſſimæ iuuentuti, & regno, purpura, ſceptróque donati, eſt tamen haud

2. Cant. 8.

Hom. 1. in Epiſt. ad Eph.

haud paulò grandius Deum ipſum audire ac cernere formoſitatis huius admirabundum ſpectatorem; Quid enim ſibi aliud hæc volunt. *Quàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es!* Et quæ conſequitur pulchritudinis eius pictura diuini Spiritus expreſſa penicillo? Si pulchrum quod ineſt corporibus proportione partium continetur; & quò eſt res quæque præſtantior, eiúſque partium inter ſe maior conuenientia, eò neceſſe eſt eſſe pulchriorem: ſanè honeſtum, & virtutis cum ratione conſenſio, elegantias corporum innumeris partibus antecellet; ſed huic virtuti mirum quantum accedit ab gratiâ, animi ſcilicet totius conſenſus cum æternâ & ſupra naturam editâ ratione; cuius obliuioni & incurioſæ tutelæ cauens Deus: *Ecce, quàm pulchra es*, inqnit,
Cant. 1. *amica mea, Ecce quàm pulchra es*; & hac iteratâ inculcatione aduerſionéque formæ elegantis, tam exquiſitæ, quàm parum ab eius poſſeſſoribus cuſtoditæ, curam eius tuendæ magnopere iniungit, cuius etiam iterationis cauſa eſſe poteſt duplex animæ pulchritudo, creata vna, & luce gratiæ diuinæ conſtans, ac proinde columbæ, malorum punicorum, regalis gloriæ, aliarúmque rerum creatarum colore, vmbríſque vtcúmque depicta; interior altera & increata, ipsáque præſentis ſancti Spiritus pulchritudo, humanis ingeniis occulta, & intrinſecus latens ipsámque animam, velut mundo incomparabili totam intimè ornans & excolens, de qua dixiſſe ſcripturæ ſat fuit. *Omnis gloria eius ab intus.* Quæ tanta ſpecioſiſſimæ

vtrimque

Vtrimque gloriæ magnitudo, ſi quemquam pungit languidius, pungat illum deformitatis honor, & turpitudo animæ gratia orbatæ. B. Tereſiæ enixè poſtulanti monſtrata cum eſſet, admiranda illa animæ ſpecies in globo cryſtallino ſeptem quaſi thalamis diuiſo ex quorum medio Rex Chriſtus illuminabat ſuis radiis reliquos, dum extra globum circumquaque dira nocte, & virulentorum animantium figuris omnia horrerent; excedente inde poſt paulum Chriſto, apparatus illius autore vnico ac fonte, ſphæram inuaſit ſæuus nigror, veluti carbonis, & tetri odoris peſtilens grauitas, fœdæque animantes, & imago denique hominis ab gratia deiecti. Paulus vero Abbas inter multos quos cultu gratiæ vidit eximiè formoſos, notauit quempiam deformiorem Æthiope, ob amiſſum illius pignoris candorem, aſſultantibus circum dæmonibus, circulóque inſerto nares hinc inde torquentibus, cuſtodem interea Angelum procul demiſſo capite mœrentem: & S. Epiſcopus, cuius eſt apud Rufinum mentio, illorum quibus inerat gratia, candidiora niue ora, & formæ liberaliſſimam ſuſpexit, aliorum nigredinem, cruentos oculos, & expirantes ex iis flammas magno metu ſpectauit. Quæ vmbræ ex fœditate rerum ductæ, ſub ſenſus cadentium, etſi omnes vnum in monſtrum confluant, abominandam ſpeciem hominis labe mortifera inquinati haudquaquam ſatis expreſſerint, alioqui ſpectantes, ſi per ſe videretur, conſpectu horribili necaturam; quam cauſam B. Birgittæ ſignificauit

In 2. relat. vitæ per ſacræ totæ auditores §. 2.

Vat. P. Roſued. l. 7. c. 23.

Lib. 3. V. Patr.

gnificauit Chriſtus, ob quam illi figuris ſenſibus, ſpiritualia monſtrarentur: nam ſi dæmonum, inquit, qualis re ipſa eſt, contueri deformitatem poſſes, aut collaberere repentè exanimis, aut vitam non ſine incredibili dolore retineres. Euſebio certè S. Hieronymi diſcipulo, corporea ſpecie tàm tetrâ apparuit, vt quicquid vſquam eſt pauendum, & triſte in hac vita ludum cenſeret puerilem; S. Catharinam Senenſem cacodæmon idem, cum ſuperbiæ ſuæ turpitudine raptim viſus, tanto impleuit cruciatu, metúque diſſoluit, vt mallet ad vſque iudicium vltimum viam prunis inſtratam nudis pedibus terere, quàm illum ſecundò vel obiter videre. Ac tandem negat Dionyſius Carthuſianus quicquid hic cernitur, cogitaturve tormentorum, vnius tantum aſpectum dæmonis æquare. Iam verò ambigi non poteſt quin ream legis diuinæ animam eadem fœditas, turpitudóque afficiat, partim ex ipſo gratiæ defectu haud paulò turpiori, quam ſi quis truncis inhoneſtè naribus, auribúſque, exſculptis oculis & mutilus cruribus iaceret; partim ex ſceleris maculâ longè omnino magis execrandâ, quàm ſi cuipiam pro humanis variarum ferarum membra ſuppeterent; Quis ad hanc ſpeciem tam ſæuam, & infamem ſenſus Angeli Tutelaris? Quæ triſtitia cæterorum, paulò ante tuâ, infælix anime! Formoſitate alacrium, & geſtientium? Quæ tuæ arcana conſcientiæ verbera, & interiores lanienæ? necdum tamen de remedio vides, nec ſentis dulcem, & facilem auram obuiæ, ſi voles, ac

Ep. Cyr. ad Aug.

penè

penè ſubitæ libertatis. Vidit S. Paulus cognomento ſimplex omnium vultus, qui ad Templum de more conuenerant colore, & habitu Angelis ſimiles, duntaxat vnus beatum numerum, ore truculento noxium lemurem referens maculabat; Indoluit miſero vir Sanctus, illíque à Deo reſipiſcendi conſilium impetrauit; Quare non diu poſt è Templo cum cæteris eadem oris præſtantia prodeuntem, lætus interrogauit Paulus, quid illic egiſſet; doluiſſe ſe admiſſa ſcelera reſpondit; fleuiſſe, deteſtatum eſſe, ac ſynceri amoris lacrymis eluiſſe. Hic ſi dicam, quod Naamano ſui, rem quantumuis grandem, leproſe infeliciſſime, ſi iniungeretur, vtique facere debueras, ad recipiendam gratiæ ſanctitatem, & pulchritudinem diuinam; quantò magis cum ſolum iuberis non dicam ſepties, ſed ſemel & breuiter Chriſti ſanguine lauari, ô prodigam, & millies repetam, miſericordiæ bonitatem! ô iniurioſam Deo, & ſibi crudelem peccatoris, aut illam miſericordiam reſpuentis aut ignauiter cunctantis væcordiam & ſtuporem!

Rufin. l. 3. Vit. Patr. n. 167.

4. Reg. 5

3. Tu verò eiuſdem negotiator fidens ac proinde; tu ſerue frugi potentis illius & optimi regis, hanc animi ſpeciem, quâ vnâ illi, aut ſeruata places, aut amiſsâ execrabilis es, ſupremo in pretio habeto, ſummis curis ſeruato, & quantò eſt venerabilior Deóque acceptior, tanto à labeculæ cuiuſuis adſperſione, fortius, cautius, conſtantiúſque defendito, alioqui regia in ſtolâ, candentíque animæ purpurâ, quàm in quotidiana veſte turpius viſendæ; cui labori,

ac tempori, quibuſve ſumptibus, quin & incommodis parcitur vt peritura & fugiens elegantia corporis teneatur, ornetur, fulciatur? non horæ ſufficiunt, non caput diei, párſque lectiſſima; adduntur ſcrupuloſæ, continuæque ſollicitudinum pro capillo vno, pro ruga veſtes, pro oris minio, pro vrbanitate geſtus, motúſque excubiæ: abluendæ autem quotidie menti comendæ, poliendæ, vngendæ hora negabitur? formæ veræ theſauro, quæ ſola Dei amicitiam, regnúmque promeretur, ab iis prohibendo quæ obſcurare illam quoquo poſſunt, ne id quidem quod veſti, & calceo ſtudiũ conceditur? Et tamen, ô ſegetẽ lucrorum cæleſtium feracẽ! *Vulneraſti* ait *cor meum, ſoror mea ſponſa in vno oculorum tuorũ*, hoc eſt, recto quouis Deum rectè ſpectantis conſilio; *& in vno crine colli tui*, cogitatiunculâ nimirum ſanctâ; Quæ ſi tam leuia, & ſcintillæ in modum, vel ſemel edita Deo tantopere arrident, quid ille ſol gratiæ animam veſtiens, totáque illius pulchritudo? Nihil ergo tam paruum ac leue ſit, quin magno ſtudio procuretur, nec ab animâ Deo gratâ, paruum ducendum videatur, ſi quid Deo veniat minus gratum. Nam erat Hannonis Archiepiſcopi formoſiſſima mens, & miro candore ſplendida, ſed hærebat pectori næuus quidam, ob quem etſi pudore manúque preſſum, & reprehenſus eſt, & ſanctorum Præſulum conſeſſu excluſus: Atque hinc etiam iure conficitur ob vitia corporis, ac diſtorta membra, oríſque prauitatem, ob inopiæ ſordes ac ſimilia, non dico contemnendum

Specul. exempl. tom. 3. p. 4. in append.

dum, ſed negligendum eſſe penitus neminem, aut minus diligendum, cum fictili vaſe ac putrido ſpecies lateat Dei amore, ac imperio digna, non ita multò poſt cum magna gloria retegenda, & hominem deceat ratione humana, & diuina fide, non ſenſu quadrupedum ſua de rebus iudicia fingere.

CAPVT X.

De coniunctione animæ cum Deo, ſanctiſque omnibus, quam parit gratia.

ITa ſunt gratiæ decora, vt cum eorum cuilibet nihil eſſe par poſſe videatur, quod tamen vltimò conſiderandum venit, præcedentibus ſemper maius appareat. Quis non miretur, poſt illa quæ hactenus planè admiranda lectori ſubiecimus, quod confidenter Apoſtolus ſtatuit, *Qui adhæret Deo, vnum ſpiritum eſſe:* aut cui veniat in mentem, poſſe homulum ex luto & puluere, ita Deo iungi, vt in vnum cum illo ſpiritum coaleſcat? Hanc ipſe Chriſtus inſinuans gloriam, *Claritatem*, inquit, *quam dediſti mihi dedi eis vt ſint vnum, ſicut & nos vnum ſumus; ego in eis, & tu in me, vt ſint conſummati in vnum.* Quod ipſum ſuis, hoc eſt, gratia præditis obtinuiſſe precando aſſerit, *vt omnes vnum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipſi in nobis vnum ſint.* Quæ porrò iſta non quælibet charitas, ſed quam æternus Pater vnico filio ſuo dedit? niſi Patris Spiritus atque

1.

1 Cor. 6

Ioan. 17

 diuinitas,

Digitized by Google

diuinitas, quam à Patre acceptam ſic nobis filius ſua morte donauit; vt in vnum cum Deo, cum Christo, cumque Apoſtolis, & legionibus Martyrum; confeſſorum ac Virginum choris, & Beatarum ordinibus mentium, ſanctíſque omnibus iungeremur, eodem illo videlicet ſpiritu animantes. Stringit ergo hunc imprimis nodum, huiuſce ſpiritus, probos omnes, beatóſque complexa immenſitas, vitáque & operibus diuinis animans, deinde gratia naturæ diuinæ ſuo iure conſors, & viua imago, ſecúmque illam animis inferens. Itaque S. Bonauentura. *Datur*, inquit, *Spiritus ſanctus ad vniendum, & colligendum membra corporis myſtici, ſed membra corporis myſtici ſunt membra inuicem vnita, ſicut ipſe Dominus petit [vt ſint conſummati in vnum] ſed perfecta vnio non eſt, niſi in vno ſimplici, ergo membra vniuntur per vnum aliquid quod eſt vnum, & idem in omnibus, hoc autem non poteſt eſſe donum creatum, ſed increatum; Ergo neceſſe eſt, cum dono creato dari increatum, hoc eſt Spiritum ſanctum,* qua planè vnitate nulla eſt arctior, nulla interior, & excellentior, cum ipſammet ſubſtantiam animi haudquaquam cæteræ copulent; hæc Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, intra illam re vera conſtituat, vnáque ſanctiſſima, & potentiſſima regnantis & peregrinantis Eccleſiæ capita, pióſque omnes? vtpotè quos ignis gratiæ eâdẽ cum Deo nectens vnitate, nobiſcum pariter, vt eſt conſequentium ratio, cõiungit. Iã ſi ſancti vnius mortuo corpore paucíſve oſſibus affatim beamur, Quid hoc illorum

In 1. diſt. 14. a. 2. q. 1.

illorum ſpiritu & ſocietate? Qua ſocietate tam auguſtâ, ſublimi, læta, vtili, ambiendâ, cum dici fortunatius nihil poſſit, quis illorum ſatis deploret infelicitatem, quos inde auulſos cupido cæca, & lamentabilis mauult hoſti maligno, & cadaueribus putridis, lutóque ſociare? ô triſtem, & acerbum caſum! reuelli è Dei manibus, ex quibus pretium & lucem trahebant, mancipandos cœno & ſordibus annulos, detrahi ex illa ſanctorum omnium aureâ catena, ex qua opem, & decus, perfectionémque augebant ſuam, circulos Dei operâ cuſos, & elaboratos; Caini, Iudæ, Arij, Mahometis omniúmque dæmonum cœtui nectendos; & ſacratiſſimo ex monili Dei caput cingente, diripi coronaturas Luciferi cornua margaritas. Auerſemur hoc monſtrum quicunque Deo adhæremus, & eius indignitate ſacrilegâ offenſi in oppoſitum connitamur; boues diu iugo ſub eodem iunctæ, non abſque mœſto, & penè lacrymabili mugitu diſtrahuntur: animum corpori tam charum facit diuturna coniunctio, vt magnis vtrimque doloribus, nec niſi ægerrimè diuidantur, etſi nec animus ſocium corpus in ſui naturam, nec corpus animum transferat; mentis verò cum Deo vnitate, quâ deificamur, vt ſic loquar, cum nulla ſit maior, nulla præſtantior quantis debet noſtros in Deum amores flammis accendere; quo ardore ac diligentia retineri; quàm indignanter abiici, & repelli, quicquid poteſt illum diuidere? Si cuius animus ſeorſum à corpore creatus, omnique ex parte dotibus omnibus abſolutiſſimus, datâ

optione,

optione, vltrò in corpus iacens, luteum, defluens, miſertus infunderet ſeſe, vt eſſet illi vitæ, motúſque omnis autor, & ſodalis, vindéxque à corruptione imminenti, quantis animum illum proſequeretur gratiis, officiis, & obſequio id corpus, ſi quâ beneficium acceptum intelligere potuiſſet; Quale verò illud, & quam leue, ad hanc Dei miſericordiam, animum noſtrum ſubeuntis, conculcatum, nudum, natali ſanguine, ac propriis ſordibus deturpatum, &, Viue illud, beatæ artifex immortalitatis & pulchritudinis in aurem illi ſuggerentis? Vbi nobis gratiæ quas reddamus; vbi, quem rependamus, amor? Vbi mille ora, linguæ, pectora, quæ tam miſericordi Domino, ac Patri conſecremus?

2. Quid? quod hæc vnitas, cùm Dei nihil planè interſit, à Deo fouetur, confirmatur, amplificatúrque quaſi magnoperè illius egeat, vt diſcamus ipſi, quorum tantopere intereſt, quàm ſtrenuè illam à nobis coli oporteat. En etenim illa mentis noſtræ cum Dei ſpiritu tam arcta vnitas, ita parum Deo ſatisfecit, vt coagmentari præterea corpus noſtrum, cum filij ſui diuino corpore voluerit, eſſéque nos vnum cum illo corpus vt ſumus vnus cùm Deo ſpiritus; neque enim illi ſatisfuit, inquit, B. Chryſoſtomus, hominem fieri, colaphis cædi, & crucifigi, verum & ſemetipſum nobis commiſcet: *Et* Hom. 6. ad pop. *non fide tantum, verum & ipſa re, nos ſuum efficit corpus*, vtque alibi ait, *ſemetipſum nobis commiſcuit, & corpus ſuum in nos contemperauit vt vnum quid ſimus, tanquam corpus capiti*

coaptatum;

coaptatum; Et S. Cyrillus non affectu ſolùm charitatis ineſſe nobis Chriſtum aſſeruit, *ſed participatione naturali*, vt liquatam ceram infuſa cera peruadit penitus, & cum eâ in vnam coaleſcit, ſic in Chriſto manere, & in illo Chriſtum, qui ſacro eius corpore paſcitur; quod S. Leo, & autor creditus Cyprianus à carne noſtrâ in Chriſti carnem tranſitum vocarunt, vtpote cuius præclaras dotes, caro noſtra ſocietate illa haurit, non depoſitâ naturæ propriæ, ſed correctâ decoratâque ratione; nam adorandâ Chriſti carne ſanctificari animum pariter & corpus B. Cyrillus S. Damaſcenus, ſalutem & præſidium aſſequi B Gregorius Nyſſenus, affectiones corporis noſtri vitioſas hoc velut pharmaco emendari ſcripſerunt S. Cyrillus Alexandrinus, ſedari crudam membrorum legem, corroborari pietatem, componi perturbationes, infirmos curari, mutilos reformari, ex quibus non obſcurè patet vnitatis huius Sacroſanctæ fructum eſſe, corpus noſtrum cum Chriſti corpore conformare, huiúſque illi ſanctitatem, & docilitatem non modò ad ſolita pietatis communiáque officia, verùm etiam ad difficillima, aſperrimâque accreſcere; vt eſt diuinitatis Chriſti augere animi noſtri vires, eiúſque debilitatem atque inertiam inuicto robore excitare. Accedit quòd noſtræ cum Chriſti carne conſortium, ſemen nobis eſt reſtituendi poſt obitum in vitam corporis, eámque illis quatuor gloriis inſignem vulgò notis, & quæ virtutibus animi reſpondent (ſic docet S. Irenæus) ita vt hoc ſacro victimæ integræ; ac viuentis eſu

l.4. in Ioã.c.17.

Catech. 4. myſt. l.4. c.14 l.4. in Ioã.c. 17.

Digitized by Google

certò nobis integranda ſit vita recens, priore haud paulò melior, etſi alij nunquam forent ſuis tumulis educendi, quos eadem hoſtia nunquam pauit. Proh! Quot metamorphoſes, & quàm nouas expertura eſſet Chriſtianorum vita in myſteriis frequentandis, ſi condigno paratu ad ea procederent, exceptámque cum illis gratiæ maieſtatem pari cura cultúque conſeruarent. Verùm enim verò, poſt traductam perfrictâ licentiâ bonam anni partem, poſtquam Epicuros, & Sardanapalos diu vixerint, repentè à ſumma veſpera matutinam ſynaxim poſcere, nec oculorum, nec ſanguinis ſtilla, nec breui cilicij punctura, aut incœnatâ nocte contracti ſitus & putoris, ſummum ſaltem horrorem detergere; hæc & ſimilia quid mirum ſi obſint præſentiſſimæ alioqui medicinæ huius cibíque efficacitati; fiántque nonnulli raró ex eo meliores, non raró etiã peiores? cùm planè Angelos, planéque ſpiritus, & diuinos prodire cunctos illa ex menſa oporteret, & Chriſti carne ſaginatis nihil præterea ſapere. Hac ipſa demum vnitate Chriſto corporati, neceſſariò quoque cohæremus cum omni ſanctorum vniuerſitate, quorum vnuſquiſque in Chriſti corpore nobiſcum iungitur; vnde Apoſtolus; *Vnus panis*, inquit, *vnum corpus multi ſumus, omnes qui de vno pane participamus*; & alio loco, *multi vnum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra*; haud certè ciuili duntaxat & myſtico cenſu, ſed (quod probè aliqui aduertunt) verè ac propriè; cum Chriſti corpori non ficta æſtimatione, ſed re ipſa,

ipſa, veréque confundamur. O ſacrilegia illorum impudentiſſima, qui membra Chriſti, & ſanctorum, membra faciunt meretricum?

Quanti verò nobis hæc eſſe debeat cum Deo, & Chriſto, ſanctíſque omnibus cognatio, quam vix alia vox præter vnitatem ſat exprimit, ipſo Dei magiſterio diſcimus. *Deus ſtetit in ſynagogâ deorum*, de quibus aliàs, *Nolite*, ait, *Deus tangere Chriſtos meos*, *ac tandem dij eſtis, & filij excelſi omnes*; Vbi affirmat B. Anſelmus, deorum nomen non ſolis Apoſtolis (quibus id à Chriſto S. Hieronymus datum explicat) ſed Chriſtianis omnibus gratiâ ornatis conuenire, nec quemquam illorum ab hâc diuinitate excludi; ingens profectò dignitas & honor, tanto nomine cenſeri, ſed longè auguſtius nominis titulum, causámque obtinere: Cæſares enim, Ptolomæos, Auguſtos; regnandi ſucceſſio, non eorum virtus eos appellauit, qui ſecundi hæc nomina tulerunt; Chriſtianos gratiâ præditos vnus cum Deo ſpiritus, vnum corpus cum Chriſto, Deorum ornat nomenclatione, quæ vna potuit illam ſignificare vnitatem, quam neque amici vox, ne filij quidem ſatis ſignificanter indicabat; etſi enim Dei ſumptâ preſſiùs voce, non ſint dij, verùm poſt Deum id obtinent, quo ſecundùm Deum nihil eſt diuinius, æmulantúrque vnitatem diuinarum inter ſe perſonarum, vtque Filius & Spiritus ſanctus habent ab ipsâ Dei vitâ & ſpiritu, ſeu diuinitate Dei nomen, ita Deo grati ab eâdem, ſed participatâ Dij nuncupantur, nec habent exemplar, aut picturam

5.

L. ſimilitud. c. 66.
Hier. in Matt. 17

veracem ſui huius cum Deo coniunctiſſimi amoris, niſi ex auguſtiſſimâ Triade, ex quâ illam etiam deſumpſit Chriſtus, cùm vnitatem nobis à patre precatus eſt; nam in rerum naturis nulla ſubſtantia ſic alterius eſt, vt ei tum inſit, tum vitam tribuat: nulla, cuius amor inflammatus amantis non dico affectum, ſed amantem ipſum in dilecto locet, aliúmque in alio neſcio quo pacto mutuo colliquefaciat: Iure itaque illis deorum nomen adſcriptum eſt, quorum prærogatiuam ſingularem nullæ vſquam rerum creatarum appellationes explicabant. Quo nunc obſequij genere, quo amoris fructu, etſi mille venas, & vitalia pandamus, reſpondere huic amori tam diuino, vtcumque poſſimus? Quâ nobilitatis noſtræ obſeruantiâ, reuerentiâ appellationis, imitatione tam ſancti amatoris? O immane noſtrum, dignúmque inferis omnibus dedecus, ſi Dei nomine venerandi, dæmones viuamus!

CAPVT XI.

Animam Dei ſponſam excellentiſſimo, & iucundiſſimo fœdere, gratia efficit.

1\. AMoris officia, quibus Deo ſumus obnoxij, abundè nobis ſacræ paginæ indicant, dum vocant animam toties Dei ſponſam, ipsáque ſanctè ab eo erudita, *Dilectus mihi*, inquit, *& ego illi*. Verùm monet eâdem in ſcholâ probè doctus

doctus Theologiæ Angelus, quantum vmbris ſuperſunt corpora, & res ipſæ figuris, tantum ſocietati ſponſorum, ſocietatem Dei, vnitatémque cum animâ ſupereſſe: vmbra verò eſt rudi graphide ſignata, ad hanc vnitatem, fœdus omne, conſenſióque nuptiarum; atque vt eſt Dei in animam amor, infinitis partibus quouis alio maior, ſic decet amori animæ erga Deum, ac fidei, longè omnia cedere; cùm enim referret Apoſtolus, amore ſponſæ patrem & matrem homini relinquendos, futuróſque duos in carne vnâ, *Sacramentum*, addit, *hoc magnum eſt, in Chriſto dico, & in Eccleſiâ*, extendo & explico, in Deo, & animâ ſanctâ, qui gratiæ vinculo, duo in vnum ſpiritum coaleſcunt, dum hoc ſolum habent terrena duorum connubia, vt vnâ in carne ſocientur. Legimus ſupremis nonnunquam regibus ſponſas ab aratro, & rure placuiſſe, ſubuectáſque in ſocietatem ſceptri, in ſponſi dominas, & regni totius maieſtatem; hic ſi ex iis vna honorum pertæſa, ſui ruris, & ſordium appetens paternum iterás, ructánſque alliatum, vix ſponſum reſpiciat, pro ſuo vix habeat, nihil præter diuortia, & adulteria meditetur, pudorem regiis mediaſtinis, & hoſtibus quotidie venditet, quid illi vſquam puniendæ, & excruciandæ ſufficiat? At quos potius dæmones, quæve ſupplicia depromant inferi proditionibus nefandis paria, quas perfidioſa mens amantiſſimo ſponſo in horas, & momenta molitur, & tranſigit, vt in vlnas hoſtis ſpurciſſimi, & auitum pædorem, probráque priſtina reuoluatur, diuinos exoſa

thalamos, vnitatémque coniugij regij ſempiternam? Habent prætereà nuptiæ, vt ſponſi honores in ſponſam porrigant, quamuis per ſe obſcuram & ignobilem, efficiántque mox regni maritalis, Senatoriæ purpuræ, dignitatíſve alterius conſortem. Quare anima, Dei ſponſa regina dicitur, illique à dextris in veſte aureâ, vltra omnem naturam locatur, à quâ certatim colitur pro Dominâ, & Domini ſponsâ, hoc ipſo rebus creatis altior, etſi aliunde non foret intimâ gratiæ, ac potiſſimâ ratione prouecta in ſtatum ſupernaturalem. Vidit olim Aſia Vaſthi caſum; regni faſtigio deturbatæ ob ſpretum Aſſueri imperium, ſed eduntur, coràm ſimilas continenter penè vbique prætextatæ, & ob violatas Dei leges regiæ Dei ſponſæ præcipitantur ex illo honoris opúmque apice in ſummum dedecus, omniúmque poſtremam & calamitoſiſſimam ſeruitutem: Vice versâ Eſtherem principis gratia (diuinæ pictura) in Aſiæ ſolium repentè ſuſtulit, expreſſitque in illâ beatitatem animæ in Dei ſponſam ex dæmonis victimâ conſecratæ. Quid dicam hocce connubio non ſponſi tantùm ſuperba cognomina, & ſtreperos titulos in ſponſam congeri, vt humanis ſolet in nuptiis, ſed res ipſas, hoc eſt diuinitatem ſponſi, ordinémque diuinum, miſericordiam, ſanctimoniam, pulchritudinem, bonitatem, cæteráſque virtutes, quarum comitatu ſtipata gratia in animam ſubit, iúſque ipſum regni cum ſponſo poſſidendi, quod ſanè reginis nubentibus nequaquam inter homines datur; at ſi nihilominus nuda vocabula, titulíque

ſque inanes tam dulce altúmque in auribus hominum perſonant, vt eorum cauſâ certaminibus, & præliis, vitæ & ſanguini non parcant; ad tuendam quæ nobis obtigit, cumulandámque gratiæ portionem ſolidis refertam opibus, deliciis atque honoribus, quid tandem peragi à nobis opus eſt, ſi quid Dei ac noſtri meminimus, ſi quid illum nóſque non falsò amamus?

Iam tres illos quos cenſet S. Thomas connubij fructus quàm magnificè præſtat cæleſtis ille ſponſus? fidem primum in quâ deſponſurum ſe ſibi animas profeſſus fuerat, adeò illibatam, vt totus noſter ſit nec multitudine illorum quos ſimul diligit, quidquam nobis amoris detrahat; ſed præpotenti bonitate capacitatem omnium, votáque impleat; adeò placabilem, vt alienis infatuatas amoribus & fœdè perditas reuocet, ſeptóque ſpinis earum itinere compellat refugas ad reſipiſcendum; adeò perfectam, vt illam coniugibus pro archetypo amandi proponendam putarit Apoſtolus: *Sicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam & tradidit ſemetipſum pro eâ.* Quî poſſit animæ hanc ſponſi tanti fidem apud ſe verſanti ſubire cogitatio de adulterio, aut de ſpargendis in varia affectionibus, earumve parte ſponſo fideliſſimo detrahendâ? Inſolubilem deinde matrimonij huius nodum ipſa nectit ſponſi æternitas, conſtantia, æquitas, nec morti, nec mutationi, nec faſtidio vlli obnoxia: vna mors animæ violentas manus ſibi peccati ferro inferentis, immortales hos nexus à Deo ſanctiſſimè adſtrictos

ctos lacerat & diſcindit. In qua clade tametſi iactura gratiæ non eſſet, at ſeiungi ab ſponſo ſummè amabili, ac potente, abrumpique illam beatiſſimi fœderis vnitatem; & ſponſæ regiæ honores, iuráque momento perdere; annon ſuppliciis omnibus grauius iudicetur? Ah! pereant, quicunque ſunt alij amores; nobis aliæ quęcunque neceſſitudines, affectus, deliciæ, cōmoda, ipſa membra, & vitalia potiùs reuellantur, quàm nobis excidat IESV Chriſti amor, & de ſponſæ iure, dignitatéque amittendâ vel periculum incurramus. Tertium denique huius connubij emolumentum fœcunditas, quàm admiranda ſit S. Thomas exponit; multitudinem ſanctorum operum docens à Chriſto ex animâ ſuſcipi, velut prolem fortunatiſſimam, ac ſynceram, ipſo ſui partu vitam matribus proferentem; nec doloris filiam, ſed riſus & gaudij, quamuis non abſque triſtitiâ edatur, ſed conſequentibus lætitiis ſorbendâ: Nec item Platonem latuit, optabiliorem virtutum eſſe, quàm filiorum fœcunditatem: Animæ autem Deo gratioſæ numeroſior eſt, ac promptior, feliciórque fœcunditas, quam matrimonij vulgaris; hic vnus matrem nouem menſes torquet, illic ſat eſt velle, atque vt plurimum incredibili mentis voluptate; hîc duodecim liberorum dignâ immunitate domus, vix multis annis & rarò obtinetur; illic momento tria millia exiſtunt, hic præmaturę filiorum mortes, aut vitæ improbæ, parentes miſeros contra ſpem cruciant; illic æterna eſt bonorum operum ſanctitas & vigor, promiſſáque illis in

cœlo

cælo præmia, ô prærogatiuam igitur cæleſtis coniugij, præ terreno, quam ibidem concludit Theologus, duntaxat ſi anima illam ſuo vitio non corrumpat, ſi deſideriis fidelioribus piorum actuum, virtutúmque ſobolem expetat, quàm Rachel; ſi dare hos ſponſo thori ſpiritalis,& ſancti fructus adlaboret; ſi æquè nihil timeat, vt monſtroſos fœtus, qui certè non poſſunt niſi eius culpâ contingere: Nàm ſi à Principibus feminis, ac Imperatoribus editi tanto illas pudore obruerunt, tantò Regnum àc Reges mœrore opprimunt, prolis ſceptro idoneæ longa feſſos expectatione: quantus eſt futurus animæ ſerus dolor portentoſos aborſus inceſto ſacrilegio fundentis? Quæ ſponſi ira, indignatio clientum cælitum, agnatorum contumelia, rubor & conturbatio? qui plauſus inſultantium inferorum?

Ex ea vero plurimorum, magnarúmque virtutum tanquam prolis perfectæ, fœcunditate numeroſâ neceſſe eſt adſtringi fortius ſponſale hoc vinculum, & diuini fœderis vnitatem: ſunt enim reginis liberi, matrimonij firmamenta, matrum autoritas, & gloriæ cumulus, Regij amoris ac fauoris certiſſima, & conſtantiſſima pignora; ſed eò felicius in mentis coniugio, quòd crebritate pariendi, nec effœta marceſcit anima, nec pallet decolor, nec ore ac viribus deflorefcit; verùm partione ſanctarum operationum euadit robuſtior, feracior natorum frequentia, labore viuidior, agendo, ferendóque formoſior, lætior, Deóque carior; De qua gaudij vnitate, vt eam appellant Myſtagogici

T

ſtagogici doctore, videtur Iſaias animam compellare piis operibus fœcundam, cum ait; *Tunc erumpet quaſi mane lumen tuum, & ſanitas tua citius orietur, & anteibit faciem tuam iuſtitia tua, & gloria Domini colliget te*; Mox vero *orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt ſicut meridies, & requiem dabit tibi Dominus ſemper, & implebit ſplendoribus animam tuam, & oſſa tua liberabit, & eris quaſi ortus irriguus, & ſicut fons aquarum, cuius non deficient aquæ.* Eſt enim inter hanc fœcundi Domini fideliſque coniugis vnitatem, & ſimplicis cum anima gratiæ diſcrimen, quod Deum animæ gratia coniungit; hæc verò vnitas ſponſum facultatibus animæ præſentem inducit, tanta mentis luce, tamque ſenſui ignota, tantò voluntatis gaudio inſinuantis ſeſe ſummo illi bono ſummèque amabili, ſeſe viciſſim pariter animo inſerenti, vt omnes mentis vires ſponſi bonitate, pulchritudine, ac ſuauitate perfruantur totáque anima nouis inde formæ, virtutúmque radiis & liquidiſſimis voluptatibus locuples, hunc ſponſi hauriat ſuſurrum dulciſſimum. *Oſtende mihi faciem tuam, ſonet vox tua auribus meis, vox enim tua dulcis, & facies tua decora*, cuius ſuauitatis delicias S. Ephrem amœniſſimæ paradiſi deſcriptione operoſâ nobis ſubiicere conatur neque id ſupra fidem; nam ſi tantum iniecit oblectamenti Deus cibo & functionibus ad conſeruandam naturam, & propagandam neceſſariis, quanto plus virtutum ſtudio, & diligentiæ ad tuendam gratiam perneceſſariæ; ſed his animæ incredibilibus

Cant. 2. De timore animi p. 67.

parcè

parcè profectò gaudiis adſpergetur, quæ vulgaribus tenetur, & in ſponſi obſequiis remiſſa, ſeſe in alia partitur; ſolus amores noſtros vniuerſos, & flagitat & promeretur Deus; quare cum ſit noſtrum tam breue pallium; nec poſſit animi noſtri tenuitas tam effuſam capere amabilitatem, illi ſe ſaltem totam cum facultatibus omnibus infundat & immergat.

CAPVT XII.

De pluſquam regia poteſtate, quam in res creatas, omnémque naturam ſuis Gratia tribuit.

SEquitur facilè ex iis quæ dicta ſunt prærogatiuæ huius aſſertio, & notant aliqui doctorum in Chriſti Epithalamio. Vineæ noſtræ, domorum, terræ ac cæterorum commune nomen à Chriſto & ſponſa vſurpari, magnámque inde gaudendi ſegetem piorum animis ſuggerunt, quibus ſint & regna, & omnia ſponſaliorum iure cum ſponſo Deo communia; nec obſtat huic generali proborum imperio poteſtas politica regum, & principum, vt nec ſummæ Chriſti, eiúſque Matris ſanctiſſimæ, in totam naturam poteſtati. Diſputatur ſubtili ſcholarum examine hoc decus gratiæ à Gerſone; dicitúrque profectum è gratia regnum, ortis ab ciuili iure imperiis pulchrius, feracius; atque diuinius: Quin & poſito duos inter famis le-

1\. Philipp. Abbas 3. in Cant. c. 10 & 16

Serm de Dominio Euãgelico Tom. 2. p. 195. 85.

thalis articulo panem qui vnus prohibere alterutrius mortem poſſit, ad eum ſpectare affirmatur qui Dei gratiam poſſidet, non autem ad alium eadem gratiâ deſtitutum etſi ad eum ille panis ciuili ex iure pertineret: ſed hæc alij viderint, nec puto,ſat certa,nec ad dominatum excellentiæ neceſſaria,& boni viri ingenio, vt ſuæ probitatis, ſic improbitatis alienæ, æternique periculi conſcio parũ omnino cõſentanea. Ex Apoſtolo tamen per Dei gratiam omnium potente,omnia cum Chriſto piis donata cõfirmante; & ex ipſomet Chriſto, omnia, credenti poſſibilia,docente ſtatuit piiſſimus Doctor,eſſe Chriſtianum; & potentiſſimum, & huius Monarcham vniuerſitatis, habétque huius autores ſententiæ SS. Hieronymum, Ambroſium, Anſelmum, & alios; Quæ quidem ſententia, cum integro ſemper dominatu regum aliorúmque ciuili, proprio, ac priuato intelligenda ſit procul eſt ab omni VViclefianæ amentiæ nidore. Certè Antiſthenes & Zeno, ipſéque Seneca, ſapientes omnium dominos cenſuerunt, quibus adſtipulantur Philo libro quem ſcripſit de Abrahamo; Vt enim ex Seneca priuatorum iura ſupremum Regis imperium non deſtruit, ſic poſſeſſioni propriæ ſingulorum, hæc ſapientis poteſtas non officit. Miſſas facio iſtorum rationes, quæ multò magis in gratiam quadrant, quàm in eas virtutes, quas ſuſpexere aut ſimulauere Philoſophi,ſiue rerum attendas pretia, ſeu præſtantiſſimum illorum vſum,cum Deum amantibus omnia in bonum conferant: Alij ſuppetunt longè grauiores poteſtatis huiuſce

Epiſt.ad Paulin. lib de Abrahã 2.lib. de Dotibus Beat. V. &c.

iuſce tam certæ, quam parum cognitæ tituli.

Horum primus eſt filiorum nomen & ratio adoptione parta quam ſumus per gratiam aſſecuti, hac enim venimus in paterna iura, & hæreditatem regni, hoc eſt, totius vniuerſi. Quid enim obſecro in cælo, & mari, in terra & inferis non iis pareat, & inclinet ſeſe, quos omnium Dominus in amicos legit, in filios adoptauit? Alter eſt lex connubialis, qua vt iunctus Reginæ, rex verè dicitur; Regina vero regi nubit, ſic reliquorum fit vtrimque bonorum communicatio. Quod in his animæ cum Deo per gratiam caſtiſſimis nuptiis non minus verum eſt, cum in his, teſte Apoſtolo, adhærens Deo vnus ſit cum eo ſpiritus; Ergo, inquit Gerſon, & vnus Dominus; Philippus verò Abbas, alienum videri, vt ſit iis aliquid non commune, quibus ſpiritus & caro in Deo Chriſtóque communis in arctiſſimam coaluere vnitatem: Ex quo conficit Arnulphus Lexouienſis, ſi ſponſus eſt Dominus, eſſe animam ſponſam omnino dominam. Tertius Titulus fine continetur in quem Deus omnia condidit; omnia enim propter ſuos electos, ſeu gratia præditos condidiſſe vetat Apoſtolus dubitare: Quæ finis ratio quibuſdam tam potens & valida cenſetur, vt negent Deum ſummi in omnia, quo pollet imperij vllam habere potentiorem; nam etſi fingamus res creatas ab eius efficientia & conſeruatione minimè pondere, at ex eo quod ſint propter ipſum præcipuè conditæ, ſummam habet in illas poteſtatem, atque adeò maiorem quam quæ ex eo quod ipſas

2.

Anſelm. lib. de 14 Beatitud p. 338.

L. 2. 3. in Cant. c. 10.

Serm. de P. Conc. Turon.

ſas condiderit, cum fine aliquo efficientis cauſæ moueantur, illique quodammodo tum ſuam operam, tum eius fructum donent, & ex finis illius præſtantia rei factæ pretium aſſignemus. Iam ſi dubitat nemo, quin molitor naturæ Deus, poſt ſe primum bonos & gratia diuites pro fine principe ſpectarit, quis neget illos eſſe totius naturæ dominos? reis verò deſertæ gratiæ naturam niſi violenter, & cum gemitu non ſeruire? Quartò loco inter Deum, & hominem pium ius amicitiæ communionem bonorum vtrimque miſcere tantò eſt certius, quanto re ipſa illos amor coniungit, cum amicitia hominum non ſit tam potens, & ſyncera, vt poſſit illos vltra ſolum affectum, voluntatéſque connectere, Deus verò ſit totus amor, totúſque ſubſtantia, quæ abeſſe ab homine gratiæ tenaci nunquam poteſt. Quo pacto igitur non poſſideat omnia, qui poſſidentem omnia poſſidet? Vnde ait B. Angela Fuligenſis, ſolius eſſe meritum charitatis, vt ei à Deo dicatur. *Omnia mea tua ſunt.* Quintò excellentia gratiæ hoc fundat ſanctorum imperium, ſi rectè Philoſophi dominationis fundamentum, rerum præſtantiam poſuerunt, ita enim naturæ gratia eminet vt ſi eſſet de rege ſibi eligendo deliberatura, non alium poſſet, quàm gratia ornatum legere: Adde ſpeciem imperio dignam; Adde victorias de ipſa natura, mundóque reportatas, ob quas item Chriſto à grauiſſimis doctoribus adſcribitur mundi principatus, à quo enim quis ſuperatus eſt, huiuſce & ſeruus eſt, & Chriſtus victorem iuſſurus

Vide Leſſium Lib. 10. de perf. diu. c. 5.

Cap. vlt. vitæ.

Gerſon Leſſ. de perf. diuin. c. 5.

iuſſurus eſt aſſidere ſibi in throno ſuo, vt ipſemet victor paterno in ſolio conſedit, regia ſcilicet in res omnes creatas maieſtate, quæ propter occultum nunc temporis ſplendorem manna quoque abſconditum vocatur; eiuſmodi tamen rè vera eſt, vt quicquid eſt in terris ſceptrorum, præ illa ſint puerorum arundines, & à quibuſuis quantumuis potentibus Monarchis, animæ Deo gratæ, quamlibet abiecto, & deſpicabili corpore, pannóque lateat, honos ingens, & humilis reuerentia debeatur. Mirare teipſum anime tuorum interea obſcurorum natalium memor, ſed obtentæ fiduciâ gratiæ, ſi minus certâ ſaltem bonâ; & regna omnia infra te deſpice. Quis egentem Chriſtum, & gratuitò victitantem; Quis Matrem Virginem à Bethleemitis reiectam in publicum; quis Lazarum mendicum tabo & ſanie putridum, maiores Herode ac Tiberio, cogitaſſet? fugit ſæpe oculos veritas, ſed inſpicienda & æſtimanda eſt in religionis veræ fide ac lumine; *Quantò tempore hæres paruulus eſt*; in hac nempe vita *nihil differt à ſeruo*, & mancipio dæmonis, ac tametſi regni *& omnium dominus*, ſuatum tamen opum, & autoritatis nec ipſe eſt conſcius, nec vulgo agnoſcitur; ſic abſcondita eſt in Chriſto ſanctorum vita & gloria, & ille quem prædicamus excellentiæ in orbem dominatus ei ſimillimus, quamuis multò minor, quem Chriſtus & virgo poſſident, ſed eo ſuperior & glorioſior, quo Imperatores, & rerum domini potiuntur. Gal.4.

Eſto enim, non poſſint ſancti alieno manus admoliri. 5.

admoliri, aut illud pro libidine vertere, transferre atque abſumere; At ne Reges quidem in ſuorum bona id habent poteſtatis, neque propterea deſinunt ſua in ditione reges eſſe. Cætera ciuili ac politicæ dominationi, imperium gratiæ multis nominibus præcellit. Primum enim illam peccatum & homines fundarunt, quâ ex radice virulentâ, quid non periculorum & ſceleris, anxietatum & dolorum progerminat, in quærendâ, tuendâ, adminiſtrandâ poteſtate? Hoc homini Deus redempto reſtituit; olim verò inſonti conceſſit, victuro cum poſteris Angelorum more in commune regnum; alacre, purum, ſuaue ac tranquillum, niſi foret peccati rabie laceratum: Illam eæ ſtringunt anguſtiæ, vt in multos ſcindi, niſi manca & mutila, non poſſit, nec multis vſum æqualem præbere; hoc, multitudine poſſeſſorum creſcente, latiùs tenditur, diſtribuitur vberiùs, nullâ ſui imminutione, & ſic vnius eſt, vt, nullâ cuiuſquam egeſtate, integrè ab omnibus teneatur, non enim ſola rerum præſentia, atque vſus, ſed abſentia & abſtinentia æquè probis conducunt; &, nullo ſui detrimento æterna lux infinitos in terris ac cælo populos recreat, ſed quò plures adduntur, eò ſe pleniùs in illos, & magnificentiùs effundit. Ex aliorum volubilitate, vel amicorum, vel hoſtium pendet terrenæ dominationis firmitudo; gratiam vt nemo cuiquam poteſt eripere, ita eius regno priuare neminem, præſertim cum rerum quaſlibet iacturas in compendium meritorum, & victricis patientiæ conuertat, & contra

quam

quam ab S. Hieronymo de auaro refertur, probo viro charitatis cultori, tam adeſt quod dedit aut perdidit, quàm quod habet & retinet. Poſtremò in Sanctos, ex diuitum bonis redundat copioſior fructus, & dulcior, quàm ipſoſmet in rerum dominos, cùm is animi ſalute, ſecuritate ac pace conſtet, quas opum cupidi ac tenaces rarò ex ipſis percipiunt. Rex eſt igitur, diuinæ compos & particeps gratiæ; ſeruus ac mancipium peccati, dæmonis, pœnarum, ac ſui, gratiæ proditor; Idque ſolùm iuſtis nominibus poſſidemus, vt ait Gulielmus Pariſienſis, quod perfectè Deus in nobis poſſidet, hoc eſt, quo illi perfectè inſeruimus, alioqui fures, & vſurpatores ſumus, cùm in ea ſolùm iuris aliquid habeamus, quibus in eius obſequium vtimur, éſtque hoc à nobis cum Deo initæ ſocietatis fœdus.

Digitized by Google

DE INÆSTIMABILI PRETIO DIVINÆ GRATIÆ

LIBER TERTIVS.

CAPVT I.

Eximiæ charitatis habitum ſupernaturalem à Gratiâ in animam induci.

1. S. Tho. opuſ. de dileƈt. Dei c. 6. in fine.

INter illas naturæ ſupernaturalis, quâ ſancti conſtant præſtantiſſimas facultates principem locum obtinet charitas; vt enim oritur ex ſubſtantiâ animæ voluntas, ita ex gratiâ charitas, totúſque virtutum naturâ ſuperior, & diuinior chorus, informis tamen ac debilis penéque inutilis, niſi charitatis præſentiâ vocéque animetur. Inſunt rerum naturis motus principia quo perficiantur & proprietates ad illum idoneæ, vt igni vſtio, & neceſſarius ad eam calor; & gratiam quoque protinus ſequitur Dei amor, eiúſque effeƈtrix regina charitas, quæ iungit amandi circulum à S. Dionyſio celebratum; Deus enim infinitè

l. 4. diu. nom.

infinitè bonus, rationis capacem ſuíque animam amore incredibili complexus ſuâ gratiâ exornat, facítque huius ornamenti pulchritudine ſingulari digniſſimam quæ ab ipſo ametur & honoretur Deo : & hactenus quidem excurrit circulus ab Dei exorſus bonitate;hinc verò eodem, ducente gratiâ, recurrit, proflantéque ex ſeſe charitatem, quâ ſummam Dei bonitatem, ſummè animus diligens & requirens circuli exitum principio nectit, in eóque ſuauiſſimè conquieſcit.

Hanc porrò laudans charitatem B. Auguſtinus, tantum eſſe pronuntiauit Dei munus, vt Dei nomine vocaretur,nec ſe minore alio putauit dignitatem eius æquaturum; at ſententiarum Magiſtro nihil eſſe aliud viſa eſt, præter ipſam æterni ſpiritus perſonam, vſque adeò admirandos illius fructus ratus erat, vt niſi ab increato principio non poſſent exiſtere ; Quod licet optimè à Theologiæ Principe refellatur, ſed argumento eſt magnum eſſe quiddam charitatem,quæ tanti ingenij ſuâ luce tantoperè aciem perſtrinxit: melius verò idem neque infinitam, neque Deum eſſe, verùm immenſa quædam efficere,ac magnitudine infinita,bono infinito mentem humanam copulando:Quanta foret vis eius machinæ, quæ ſuis ſedibus reuulſas Alpes, montémque Pyrenæum corpori ſolis inſereret, eius luce ac radiis imbuendum; Eſt tamen reginæ charitatis haud paulò potentior, diuiniórque vis,quæ pondus humanæ voluntatis iners, & contumax, & terrâ grauius, terræque infixum, ſublimè attollit, &

2. Epiſt. 106.

2 2. q. 23. a. 2. ad 3.

ſolem ac ſtellas prætervecta, cum ſummo eiuſdem molitore, amore mutuo coagmentat. Non ſunt infinita Pyrenæum inter, ſolémque ſpatia, inter machinæ robur quantumuis imbecillæ, & Alpium pondus; animus à Deo infinitate ſummâ diſtans, ac difficultate, quo pacto natiuâ refixus humo ad illum euehatur, eíque iungatur, niſi dominæ charitatis potentiſſimâ vi, ac propè infinita? Grande quiddam eſt terram & cælum moliri, functóſque ad vitam reuocare; paruum tamen, ac potiùs nihil cum charitate compoſitum; huic natura omnis, prophetiæ, fides, linguæ, miracula, & quicquid altius naturâ, naturæ gratis, aut aliter, extra gratiam datur, non tantùm de pretio concedit, ſed ne eſſe quidem computatur: Imò etiam, inquit, Apoſtolus, *ſi abſque charitate diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas* (addamus licet, prouinciarum integros, & regnorum cenſus) *& ſi tradidero corpus meum, ita vt ardeam, nihil mihi prodeſt*; cúmque nihil nobis ad gloriæ meritum citra illam proſit, ſola tamen inſtar omnium eſt, atque vbi adeſt, non poſſunt inde virtutes reliquæ abeſſe; eſt enim ex B. Thomâ illarum anima & vita; ex Apoſtolo Paulo, perfectionis vinculum, patientiæ, benignitatis, concordiæ, cæterarúmque illuſtris flore ac robore virtutum; ſunt enim omnes plumbeæ & aſpernandæ venæ, nec ſuis laboribus pretium vel numero addunt, vel diuturnitate; ſola charitas metalli principis donatur appellatione, aurum eſt cui cedunt omnia; ignis quem Chriſtus in terras miſit ardens,

ardens, quietis impatiens, omnia in ſe, in Deum, in cinerem conuertens, atque vnâ modò excuſsâ ſcintillâ, quicquid vſquam in terris hæreſeon, ac ſcelerum furit, potens momento conſumere.

Laur. Iuſtin. in ligno vitæ de char. c. 3

Cuius tantæ cauſa poteſtatis non ea eſt, quòd ſit eadem cum Spiritu ſanćto, vt parum conſultè Magiſter ſententiarum docuerat, ſed, quod verius S. Thomas, eiuſdem ſpiritus diuiniſſima participatio, atque vt loquitur, Dionyſius Carthuſianus, *pretioſiſſimum balſamum Deitatis, ac Spiritus ſanćti ſimilitudo ſupernaturalis:* Quemadmodum enim diuinæ naturæ, gratia; ita eſt charitas, Spiritus ſanćti participatio; vtque amor diuinus proficiſcitur à Deo, ſic à gratiâ charitas, velut eius excellentiſſima facultas, ad diuinè agendum, obeundáque opera diuini ordinis, & participatæ ex Deo naturæ. Cur itaque alia deinceps tam multa, tam vana, tam praua vitæ noſtræ partem potiſſimam occupent? Quid flamma tam efficax, & potens, premíque neſcia, opprimitur tamen obruitúrque noſtræ deſidiæ mortifero gelu? Quem ſe ad finem, mundi, terræ, ac noſtri, venalis amor, & peſtilens, iaćtat, alit, corroborat, necdum reginæ charitatis ſanćto incendio cineraſcit? Vtinam gratiæ impetus noſtris non frangeremus obicibus, ſed iis nos permitteremus totos; quàm pronus tunc nobis Dei amor foret, quàm dulcis, quámque expetendus; nullam enim virtutum cenſet S. Thomas tanto in opus impetu ſuo ferri, vt rapitur charitas, tantáque animi voluptate, vnde S. Proſper affećtuum

Lib. de elem. Theol. p op. 152.

a 2. in corp.

l.3.vitæ Cent. c.13. omnium potentiſſimam, inuictiſſimam rerum vocat; hæremus nihilominus in ſancti amoris officiis tanquam in ſalebris,& per ſe iucunda, humanæque rationi maximè conſona, quaſi permoleſta, & tædij plena moroſo faſtidio tractamus, aut vix primoribus digitis attingimus; hanc perfidioſus noſtri amor, & terræ inhærens animus, grauíque aurâ velut ſolido cibo tumens difficultatem nobis creat, hæc procliuitatem retardat charitatis ſuopte pondere in Deum propēſam. Amoueamus,per Deum hos obices, & iter expeditum tracturæ nos ad Deum charitati muniamus, tracturæ, inquam, ſuauiſſimâ voluptate; ac ſi auelli ſpinæ quæ cor noſtrum diſcerpunt,ſine corde non poſſunt, cor ipſum cum iis reuellamus, dominæ charitati iure perpetuò mancipandum. Rem habemus grandem præ manibus, & tutò ac facilè quæſtuoſam. Quid ceſſamus ergo, otioſámque detinemus? Quid ferat hominem, cùm arte quam callet poſſit opes ingentes nullo negotio, dignitatéſque comparare, ſitu illam deſidiáque negligere? Quis ſanis adeò parcentem manibus,vt malit emori dirâ fame, quàm illas ori admouere? & hæc abſurda, prorsúſque indigna in nobis cernitis, odiſtis,& auerſamini, ô beatæ mentes, diuinæ aulici charitatis: Bonam dierum partem, quid ſi & totos dies & multos exigimus, vix Dei ſemel amandi memores, in amandis nobis peruigiles, atque aſſidui, charitatis theſaurum inaniter, otioſéque obruentes, immenſorum feracem, ſi occuparetur, debitorémque meritorum. Quid? illam

Sen. Ep.51.

autem

autem parenti optimo charitatem infinitam, motu erga nos æterno vigentem, illum Chriſto de cruce pendenti, moríque per ſingula momenta parato, inexhauſtum amorem, quâ mutui amoris imitatione reponimus? hunc enim illi, vt ſaltem pro modulo rependeremus, charitatis ab eo inſtructi, ſumus cæleſti facultate. Amemus igitur noſtri amantiſſimam bonitatem, iungamus fini principium, ſacríque amoris ſtabiliamus orbem, illum totis viribus diligendo, qui amori noſtro totam potentiam potens omnium inſumpſit; quies noſtra eſt, polus noſter, noſtra felicitas, huic ſemper ardeat cælo miſſus ignis charitatis in arâ cordis noſtri, & ſacerdote animo ſanctarum meditationum alimenta aſſidua ſuggerente nutriatur; præcipuè vero adolente perpetuum noſtri holocauſtum, cùm purè lucere diuinus ignis, niſi alieno conſumpto, non poſſit.

CAPVT II.

Virtutum omnium habitus ſupernaturales à gratia in animam induci.

PRæter charitatem, eiúſque præuias, & neceſſarias comites, ſpem ac fidem; omnes in animam virtutes accerſit gratia, non ex humano ſtudio, ingenio, vel Zenonis ſtoâ, ſed è cælo petitas, cælitúſque infuſas, & exemplum pulchritudinis diuinæ, cuius deſertori Angelo

S. Tho. 1.2.q 63 a.3 Suar 1.8. de gratia c.9.

Angelo iacturam exprobrans propheta. *Tu ſignaculum ſimilitudinis*, inquit, *plenus ſapientiâ, & perfectus decore, in deliciis paradiſi Dei fuiſti, omnis lapis pretiòſus operimentum tuum, ſardius, topaſius, & iaſpis, chryſolitus & onix, berillus, ſapphirus & carbunculus, & ſmaragdus.* Quibus temperantiæ venuſtas, iuſtitiæ vigor & fortitudinis, prudentiæ, obedientiæ, humilitatis Chriſtianæ, patientiæ, religionis, & caſtimoniæ pretioſa lumina deſignantur, quorum ſpectans Apoſtolus copiam, genitali lauacro Spiritum ſanctum in nos *abundanter effuſum* ſcripſit; Dauid reginam ſponſam aureâ varietate circumdedit: Salomon, auroræ ac Lunæ ſimilem, Soli vni ſecundam fecit, aciéſque inſtructas inceſſu terribili referentem, hoc eſt ſpe, fide, charitate inſignem, armatíſque cinctam virtutum manipulis, non gregariis & triuialibus, ſed cæleſtibus & diuinis; Vt enim res cæteræ principiis egent, ac dotibus, quibus fines ſibi debitos aſſequantur, ita & gratia, & hominem in nouam tranſlatum creaturam, in finem diuinum, diuinis operibus perductura, diuinis ad ea eget virtutibus ceu facultatibus. Deinde gratia, cùm vera ſit animæ ſanctitas &, quod hinc ſequitur, ſanctorum fons operum quæcunque proficiſcuntur ab animâ, eorum adminicula virtutes ſcilicet, neceſſariò ſecum trahit, quibus illa opera obeantur. Poſt, eſſe Dei amici nequimus, niſi perfectionum diuinarum virtutum ſcilicet coloribus illi nos gratia exhibeat ſimiles, quanquam malè colores nomino, cùm ipſemet Deus non

affectu

affectu ſolo ſed ſeipſo dilectam animã intime ſubeat. Ad hæc, filios Dei, quales gratiâ efficimur, patris decet mores, clementiam, ingeniũ, manus & oculos, omnémque aliam ſpeciem, tantò propius gerere, quantò potiore, præ filiis hominum, gaudent filij ratione. Demum, virtutibus humano ſtudio vel natura partis, vt ſe mundi ciuem bonum, & probabilem homo præſtat, ita vt cæli Angelorúmque ciuem agat, vt Dei filium, & regni hæredem, muniendus eſt facultate multiplici, affuſarum diuinitus virtutum, quibus ordinis, quem per gratiam accepit, ſupernaturalis vitâ non diſpari impleat dignitatem; harum enim virtutum geſta ab naturalibus, haud paulò plus diſtant, quàm ruſticorum ſylueſtrium quælibet agreſtis vrbanitas, à probatiſſimo, emendatiſſimóque ſtylo cultiſſimorum aulicorum.

Huius amplitudinem theſauri vehementer commendat Philoſophorum opinio ac labor, in harum laude ac ſtudio virtutum humanarum, ſiue moralium; quas voluntarij patriæ exules, bonorum extorres, oſores genij, ambiuerunt, nec ſunt veras, puráſque aſſecuti; nos illas alias ſublimes, ac cæleſtes, labore nullo, puncto temporis excipimus, tanquam legitimum gratiæ comitatum animam ineuntis. Quàm miſeranda ſors diurnæ operæ, ſudantis, anhelantíſque ſub diei totius pondere, nullo demum mercedis ſolátio? Quàm diues, alterius; cui ſub primo ligone, immenſus theſaurus crepuerit? noſtra hæc, noſtra eſt optatiſſima ſors, manu gratiæ mota, & peracta, in cuius mini- 2.

mam portionem, nulli nos laborum, & temporis, nulli moleſtiarum ſumptus induxiſſent; Verùm enim verò, gratuiti tot virtutum infuſarum doni ne gratuitam reamur, otioſámque conſeruationem; excubemus armati ad prætorium gratiæ, quâ ſaluâ, in tuto illæ ſunt; quâ periclitante, vacillant omnes, duabus exceptis; pereunte, ruinam pariter lamentabilem ſequuntur, adeóque infamem vt ſanctum prophetam alieno pudore, dolore proprio affectum in illas egerint lacrymabiles querelas.
Thr. 4. *Quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus, diſperſi ſunt lapides ſanctuarij in capite omnium platearum? Filij Sion inclyti, & amicti auro primo, quomodo reputati ſunt in vaſa teſtea, opus manuum figuli? Qui veſcebantur voluptuosè, interierunt in viis, qui nutriebantur in croceis, amplexati ſunt ſtercora. Candidiores Nazaræi eius niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, Sapphiro pulchriores; Denigrata eſt ſuper carbones facies eorum & non ſunt cogniti in plateis; adhæſit cutis eorum oſſibus, aruit, & facta eſt, quaſi lignum.* Huc ſcilicet infelicitatis perduellem animam peccatum redigit, cum ei, ereptâ gratiâ, ſimul ad probroſam ignominiam omnia detrahit, quibus florebat ac tuebatur ſeſe, ornamenta honoris, & præſidia ſalutis, nudam, inermem, imbecillam relinquens, omnique turpitudine deformatam. Quid eſt Sanſonis robur Philiſtæis pauendum, cum pertimeſcendo inferis ac vitiis robore? indignamur tamen iraſcimúrque homini mulieroſo, qui totius roboris ar-

canam compagem quam norat vnus tenui capillo aptam, commiſit cupidæ fœminæ leuitati; nobis nedum nouimus indignari, qui præſcindenda animi brachia hoſti obiicimus, greſsúſque ſubneruandos, vt nec repugnare, nec fugere nec vicem dolere valeamus; virtutes nimirum *gratiæ* cognatas, gratiæ infidi, breui, ſtultóque oblectamento peſſumdamus, quibus vires mentis, voluntatíſque omnes continentur; ac ſi eo vſque non ſumus noſtri proditores, hunc ſaltem theſaurum, belli, pacíſque noſtræ, ac meritorum neruum, tenemus bonam partem defoſſum, aut ſudario inuolutum, nec eius occupati exigendas à nobis cogitamus ſeueriſſimas rationes.

Denique animaduertendum inter hos habitus, alióſque vulgares non vulgare diſcrimen, conferunt enim humanæ virtutes facilitatem agendi ſolam; infuſæ etiam facultatem: Illæ ad ea quæ per ſe animus obire iam poteſt; hæ verò ad diuina, & animi viribus maiora, ex quo magnam nobis harum tuendarum imponi diligentiam videmus; ne præciſis veluti pedibus, non ſola priuemur commoditate progrediendi in via Domini, verùm ipſa quoque neceſſaria facultate; ac licet non deſint remoræ, quæ obſtent via ſupernaturalium virtutum ardua ſurſum tendentibus, at hæ temporis proceſſu remoræ, prauitate habituum expugnatâ, domantur, cedúntque procliuitati in pia opera periucundæ. Adderem quanta eximiè de morum virtutibus Philoſophos veteres natura docuerit, niſi validioribus machinis com- 3.

pelleremur ad defenſionem, cultúmque cæleſtium, earúmque parentem gratiam. Summum in virtute morali bonum non ſunt veriti quidam ſtatuere; delirauere alij eo vſque vt Deo illas æquauerint, ſed ex ea illorum inſania id ſaltem conficitur, nihil eos vidiſſe in humanis quod eſſet cum virtutibus comparandum. Quid ſi hauſtas cælitùs virtutes agnouiſſent, pluſquam toto cælo illis celſiores, & beatiores? Quid ſi perennem earum originem, gratiam? Quid ſi pretium geſtorum communi cum iis, & ex iis alueo decurrentium in portum beatæ immortalitatis?

CAPVT III.

Spiritus ſancti donis animam Gratia locupletat.

1. SPiritus ſancti dona vocamus habitus, infuſis virtutibus excellentiores, ditantéſque animum pulchritudine maiori, ac fortitudine dotibúſque aliis præſtantioribus perfectioni gratiæ debitis, ex quibus futuri Meſſiæ dum ſanctitatem Iſaias prædicat, eorum etiam beatitatem laudat, quos in corpus eius inſerendos eadem manebat inſerturi ſpiritus ſeptemgemina largitas. Ex vnius verò inter dona illa ſapientiæ celebratione à Iobo editâ, intelligitur, quanta ſit omnium amplitudo, copioſiùs autem ex illo ſeptemplici candelabro Dei ipſius

S. Tho. 1.2.q 68 a 3. Suar l. 6, c. 10 1. Bon. &c. Iſa. 11. 1.

ipſius inuentione, deſcriptionéque conſecrato. Ardebant interdiu tres eius lucernę, trium vmbræ donorum ad voluntatem ſpectantium quā oportet eſſe ſemper ad opus expeditam, reliquæ duntaxat noctibus; tentationum, vt reor, variarum, in quibus animus luce quadruplici ex cæteris quatuor Spiritus ſancti radiis recreatur: Porrò in auro & ex auro gratiæ ſymbolo, tota candelabri ſurgebat fabrica; Ellichniorum autem calices cum notent aliqui fuiſſe auricularum ſpecie effictos, ſcitè horum finem chariſmatum videntur indicaſſe; vt enim homini, virtutes inſtillat Deus, quibus agendi præſtantiam attingat, quam, pro naturæ imbecillitate, aliter nequiret attingere, ſic menti auditui, dona hæc ſeptem quaſi nauibus vela aptat, quibus Spiritus ſancti afflatus excipiat, exceptóſque alacriter audiat, & ſequatur: horum auxilio probi tanquam nubes, cælo propius volant virtutū ope veluti columbæ humū volatu radunt. Duobus enim ad rectè agendū moueri principiis hominem, refert ex Philoſopho S. Thomas, ratione, & Deo; ac debere mouenti proportione quadam quæcunque mouentur reſpondere, quâ tanto maiore opus eſt, quantò eſt mouentis natura ſublimior: Vt ergo virtutes rationis imperio nos ſubdunt, ſic dona ſpiritus nos Dei gloriæ, ac nutibus ſubiugant facilitate mira capeſſendis, nulla conſilij ambiguitate; vt in Phineis ac Samſonis vindictâ; Danielis ac Salomonis iudicio videmus. Arias Mont.

Sapientiâ ſi quidem illuminata mens Deum, 2.

ac diuina cognoſcit; res autem creatas ſcientiâ, vero de iis vſúque illarum iudicio; intelligentiæ perſpicacitate in Dei myſteria penetrat; conſilio denique iuuatur ad has notitias prudenter operi adhibendas, perficitúrque in ea ſumma prudentia, quatuor his veluti partibus; voluntatem tres aliæ diuini huius ſeptenarij abſoluunt cum adiunctis ad eam virtutibus, compoſitâ ritè iraſcendi, appetendíque facultate. Tradit præterea Gregorius Magnus vtcumque diuerſam horum efficaciam donorum ad debellanda tentationum totidem capita: S. Bonauentura ad impedimenta ſanctioris vitæ remouenda: S. Thomas ad conſequenda octo illa quibus plena Chriſti imitatio continetur, & quorum beatos pronuntiauit Chriſtus poſſeſſores. Quis hîc non miretur aſſiduitatem occupatiſſimam diuini Spiritus, tot modis, officiis, manibus animam ſibi gratam elaborantis, & perpolientis? Timore, vt ante omnia quas ſibi parauit pœnas exhorreat: Pietate, vt ſui propterea miſerta, miſereatur etiam aliorum in eadem cauſa verſantium: Inde ſcientiâ, quâ exitum è malis inueniat: fortitudine, quâ perruptis obicibus illum inuadat, ac teneat: Conſilio inſuper ne decipiatur ambagibus inſidiantium aduerſariorum, ſed diuinis vbique ſuaſionibus regatur: intellectu tandem & ſapientiâ, vt intelligat quæ ſibi potiſſimum, quibuſve præmiis omittenda ſint, vel ſuſcipienda, & ei, quæ intellexerit ſanctimoniæ ſtudio iucundè ſapiant.

Apud Dionyſ. Carth. tract.1. de donis Spir.S. a.10. 1.2.q.69 a.1.

3. Sed inter has artes, atque diuitias, quibus

nos

nos amor æternus excolit, id mali incurrit, quod his miſeri reluctamur nec fingi nos eius arbitrio ac mente patimur, ſed otioſam illius operam ac manum, noſtris infenſi progreſſibus, inertes detinemus, ex quo nimis ſæpè, contriſtato illo perfectionis noſtræ opifice Spiritu, nobis ipſis relicti, etiam gratiâ horum matre bonorum excidimus. Tum verò infuſis virtutum præſidiis, quaſi brachiis trunci, & munificentiſſimæ manus priuati auxilio, quam à Spiritu ſancto nunquam non promptam habebamus, iacemus ludibrio, & crudelitati hoſtium proiecti. Futurus olim reipublicæ proditor dictus eſt, ſi quis Phidiæ manum amputaſſet, nobilitantem eius vrbes clariſſimo opere ſtatuarum: Quod nomen daturi ſunt beatiſſimi Angeli Spiritus ſancti manum, à perficienda in animo ſuo Dei effigie retinenti? cuius non perduellionis accuſaturi contumacem? nec enim abs re tam multa Deus, & varia in nobis inſtituit, tot firmamenta diuinarum trium; quatuor infuſarum cum gratia virtutum collocat; ſeptémque præter hæc Spiritus ſancti dona; haud certè, vt ſenſibus dediti, belluíſque affines, ventris ac ſæculi, & mammonæ legibus ſeruiamus; non vt confeſſionis ſacræ aqua puriſſimâ, nitore infantium recepto, deterſæ lepræ requiramus, oſtentemúſque fœditatem; non vt priori ignauia, garrulitate, iracundia, vanitate, mollitiâ, curioſitate bonum Dei donum gratiam obſcuremus, verùm vt alia ſaliuâ, voluptatibus aliis, aliis honoribus, occupationibus

pationibus legibus, quæ Dei filios, & Spiritus ſancti viua ſacraria deceant, viuamus.

CAPVT IV.

Quam admirandâ vi mortiferum crimen Gratia deſtruat.

1. NOn eſt modò bonorum fœcundiſſima gratia, ſed in malorum quoque depulſione ita potens, vt munita eius viribus anima, ordinata caſtrorum acies, & equitatui Pharaonis dicatur ſimillima, ob innumeros ex S. Bernardo, & inſtructiſſimos virtutum quibus pugnat & vincit manipulos. Habent ferè medicamenta pretium, non ex odoribus, aſpectu, ſaporibus, tactu, aliiſve ipſorum propriis, grauibus ſæpè, deformibus, amaris, aſperis, & ſano corpori vt plurimum noxiis, ſed ex ingenitâ morbi alicuius ſanandi poteſtate, ob quam è terræ mariſque viſceribus, & mundi cardinibus petuntur. De gratia auctrice omnium bonorum, malorum depultrice, quis iure non dicat, *procul & de vltimis finibus pretium eius?* cum ſit ipſa tum per ſe maximè expetenda tum remedia pariat quibuſuis mortibus, morbiſque fortiora. Imprimis enim malorum maximũ ſolum in omnibus mali nomine cenſendum, nec vllâ ciuium beatorum potentiâ induſtriâue ſanabile, perſanat. *Intelligite inſipientes & ſtulti aliquando ſapite*; mentitur vobis cupiditas, mentiuntur

Serm. 39 in Cant.

tiuntur iræ, aliæque libidines, & contra Spiritum ſanctum falsò vobis occentant, egeſtatem, perpeſſiones, ſeu coactas, ſiue ſpontaneas, exilia, mortem, opprobria, vel alia quæuis, eſſe, præter offenſam Dei, mala; vnum eſt notandum mali vocabulo peccatum: vnum hoc eſſe bonum nequit, cùm poſſint cætera; vnum quod eligi ab illo non poteſt, qui reprobaturus mala cùm veniſſet, bonáque lecturus, elegit cætera omnia, *pérque omnia probatus abſque peccato*, hoc vnum improbauit, totâque vitâ, & toto ſanguine impugnauit. Quod dari nihil obſtat, amaríque ab ſummâ bonitate, quî poſſit in malis computari? Vna eſt, offenſa illius bonitatis, quam velle non poteſt, & ob quam vnam mali verè homines habentur, etſi bonis fruantur, quæ vita ſectatur, vniuerſis. Sed forent etiam in malis, quæ vitam, & alia vulgò bona, nobis eripiunt; Dei offenſa ſummum omnium eſt, cum ſit ſummi infinitíque boni æterna per ſeſe ſummáque priuatio. O monſtrum peſtilens, & abominandum! quod tantum eripit hominibus bonum, tam horrendam infert perniciem. Adde hoc eſſe reliquorum fontem, & cauſam malorum quæcunque cladibus, incendiis, cædibus, orbem vel hactenus merſerunt, vel ſunt in poſterum merſura: Tot illa centena cæſorum millia ab Carthagine, & Scipionibus; ab Iulio, Gallis & Hiſpanis; ab Tito & Iudæis, à Fabio & Gallis; Tot illæ diuerſis temporibus tam feræ ſtrages peſtilitatum graſſantium, &, vt verbo abſoluam, poſt Adami caſum quicquid ſenſit calamitatũ mun-

Iſa. 7.

Hebr. 4.

dus, quicquid timemus, audimus, ac legimus; caſus eius teterrimi partus ſunt; vna hæc ab eo peccati vnius, tanquam crudeliſſimi veneni ſtilla in terras excuſſa, orbem quantus, quantus eſt, totum faſcinatum, cruentatúmque funeſtauit; ab hoc tam violento, & præſenti veneno ſola nos gratiæ repurgat, tuetúrque medicina; fruſtra ſunt alia humana, diuináque; & reconciliare offenſo numini non poſſunt capitaliſſimum eius hoſtem; tam immani hominem pondere infra belluas, inferos, ipsúmque dæmonem, ac mortem deprimit, vt vnius gratiæ poteſtate erigi valeat, quâ obrutam animam ſubintrante alacris reuiuiſcit, vitæque omnis anteactæ oblita in nouum hominem refloreſcit.

2.) In quo alterum ineſt efficacitatis huiuſce miraculum, quòd, nullâ cum morbo, vt aſſolet, proportione remedij ſpectatâ, curationem ſimul, ſanitatémque exequitur, etſi enim ponamus, tantum in ſe perditum aliquem ſacrilegiorum, & facinorum congeſſiſſe, & exageraſſe, quantum à primo fratricida poſſit ad vſque Antichriſtum numerari; vel tenuiſſimo gratiæ radio mentem ſubeuntis, ita diſſipantur, vt inde penitus euaneſcant ſanctitate nimirum vel infimâ malignitatem quamlibet expugnante. Accedit etiam tertium, quod nullum relinquit eius veſtigium, nam etſi *fuerint peccata noſtra vt coccinum, quaſi nix dealbabuntur*, cuius candor mixturam coloris diuerſi non admittit; *& ſi fuerint rubra, vt vermiculus, velut lana munda erunt.* Quod item clarius ab alio propheta

phetâ explicatur, futurum promittente, vt Deus in profundum maris omnia noſtra peccata proiiciat, ita videlicet obruenda, vt peccante fortaſſis iterum atque iterum reo, nunquam reditura ſint omnino ſcelera quæ fuerunt medicamento gratiæ ſanata. Quartum denique mirabilius præcedente, puncto temporis continetur; quo peccata omnia quantumuis magna ſint, atque innumera delentur; tanta vis eſt diuinæ gratiæ, tam certum, & præſens imperium. Vix Dauid peccaſſe ſe Domino confeſſus erat cùm mox ab ſe tranſlatum peccatum audiuit; vix ſuam ſe Domino confeſſurum iniuſtitiam dixerat, & videt illicò impietatem peccati ſibi condonatam, ſéque ex dæmone in Angelum tranſiſſe.

Quis iſtas Reginæ gratiæ tam perfectas, efficacéſque victorias, tam ſubitos, & faciles triumphos infandiſſimo & potentiſſimo ex hoſte, nullius prætereà manibus domando non ſtupeat? Quis vltrò ſe denuo hoſtis illius jugo ſubiiciat, nullis vnquam ex eo propriis viribus aſſerendus? Tam potentem verò pretioſámque gemmam, ſummi debellatricem mali, ſummi pignus ac titulum boni, quis ſe toto non emat, non ſeruet, non vindicet? vita, honoribus, valetudine, omnibus etſi centuplo & plura, & maiora, & centies millies gratiæ amore profliganda? pudet meminiſſe, quibus ſuppliciis ægroti, vitam corporis producamus, quibus aſcetarum vix vlla par ſit aſperitas, potum quærit ægrotus, negatur; cibum poſcit, differtur; refellit, ingeritur; ſomno preſ- 3.

ſus, pulſatur; pertundendam venam iuſſus præbet; inurenda cauteriis brachia, laniandos ſcapellis humeros, non ſurgit, non prodit, non ſpirat, niſi iuſſus; clauſus, iacens, ſolitarius, genio ac loculis infenſus, & hæc, ſpe valetudinis incertâ, & ſæpe fallente: ſpebus autem minimè dubiis vitæ immortalis & beatæ confeſtim reparandæ, tam lentè, ac frigidè, tam contemptim gratia quæritur, vnica morborum animi non modo lethalium facilis, parabiliſque medicina, ſed mortis ipſius perpetuæ? O cæcas in iis de quibus noſtra ſummopere intereſt, cogitationes; in iis de quibus aut parum, aut nihil intereſt, ſtolidè acutas! Sed inter hæc benedictus Deus, qui tantò nobis æternæ vitæ, quam temporariæ proniora effecit ſubſidia, quantò minus intereſt breui, quàm ſemper viuere.

CAPVT V.

Lucem eſſe Gratiæ Diuinæ vmbram.

1\. VT Solis gratiam, Drogo Hoſtienſis lucem appellauit, ſic Patres aliqui gratiam Dei lucem, ob quam videtur Deum Iacobus Apoſtolus patrem luminum vocaſſe, & lucis filios gratiâ ornatos S. Paulus; vt è contrario peccatum tenebras, eiuſque auctores dæmones, tenebrarum rectores: Eſt enim rerum quæ in ſenſus cadunt lux facilè princeps, tam clara vt

Epiſt. 1. Epheſ.

neminem

neminem lateat, tam præſtans, vt nemini hactenus ſatis perſpicuè pateat, ſciatúrque potiùs quid non ſit, quàm quod re vera ſit; nam quòd colorum florem, formoſitatem mundi, cæli riſum, naturæ delicias, Dei ſimulachrum, rerum vitam, hilaritatem animi ac ſenſuum, vinculum vniuerſi, & aliter alij nominarunt, ſophiſtas magis, quam Philoſophos egerunt: Vera lucis, & præcipua laus, quod primum fuerit orbis ornamentum, ac primam laudem ab ipſo tulerit vniuerſi factore; Quicquid tamen eſt in eâ dulce, ac decorum, quicquid amabile ac ſuſpiciendum, multò eſt in gratiâ admirabilius, & excellentius: Nam ſi coloribus animam tribuit, alioqui caſſis, & ſuaptè naturâ mortuis, nullo inter gemmas & glabreta, canabina, & coccum diſcrimine; mentes gratiâ orbatas mors peior inuoluit, *nec eſt reſpectus illarum coram Deo*, & quaſi non ſint tamdiu habentur, donec ſplendore gratiæ excitatæ decenti cultus formæque aſpectu in Dei oculis conſiſtant. Si nobiliſſimi corporis lux eſt effuſa participatio, quæ ſe in Stellas, & ſpecula, cæteráque pellucida penetrat; à Deo profecta gratia, diuinam eius cum animis quos ſubit, naturam communicat, quorum intueri ſpeciem qui cupit, illuminata Sole cryſtalla ſi cernat, ſoles planè in iis ſe totidem cernere affirmabit; & quod diſtant à ſplendidiſſimis ſtellarum, extincti carbones, damnatorum fornacibus deſtinati; & ab luce vaſtâ ſurgentis diei, nigræ picis grumi, hoc deſtitutos gratiâ cenſebit ab hominibus diſtare Deo gratis; &

verò fore prædixit Daniel in firmamento vt lucerent tanquam ſtellæ in perpetuas æternitates: Quid vitreo ſpeculo atrore, ac materiâ contemnendo pulchrius, ardentius, purius, cùm aduerſum ſolem repente conceperit? etſi eius ſpectaculi admirabilitas, præ aſſuetudine ſpernatur, raptura penitus oculos, & ingenia, ſi ſemel, aut iterùm cerneretur; At hoc ludicrum eſt circulatoris è triuio, præ maieſtate animæ excipientis non ſolùm Dei imaginem, ſed ipſummet cum gratiâ Deum nec modo quolibet, verùm pulcherrima & præſtantiſſima quæ in eo elucent trahentis, vt ſpeculi glacies ea tantùm refert quæ ſunt in ſole ſpectabiliſſima & iucundiſſima.

2. Septem luci propria cenſent Philoſophi, penetrat, inquiunt, illuſtrat, incendit, excitat, amplificat, attollit, & format: Gratiæ nitor in animum peruadit; illuminat claritudo; charitas incendit; extat actuoſa vis, & ſtimulat; diſtendit & laxat, amplitudo; euehit natura ſupra totam naturam fingitque ad Dei ipſius imaginem: Vtque lux cæleſtium corporum maximè affinis, gaudet in iis potiſſimum ſeſe oſtentare quæ habent aliquid cæleſte, velut ſunt ignea, & pellucida, non diſſimili more illic regnat ſplendidius gratia, vbi plus flammæ incendit charitas, plus expandit candor, & integritas nitoris. Inter hæc verò præcipuè eminet lucis in tenebras poteſtas tanta vt omnes quantouis denſatas nigrore, ac immenſitate fuſas, momento diſſipet; ſed multò adhuc citius multóque potentiùs peccati ſæua nox,
&

& funeſta, vel tenuiſſimo gratiæ radio depulſa vaneſcit; dies, dieíque honeſtas, *& lucis armâ, reducuntur, in omni bonitate , & iuſtitia.* Fuit ſanè aliqua Tobiæ dolendi cauſa, quòd in tenebris ſederet & lumen cæli non videret; at ei quem admiſſæ culpæ nox atra inuoluit ab immortali abſtractum, & exterminatum luce, palpantem, offendentem, labentem, per præcipitia variá proruentem, quod gaudium quæ ſcintilla & punctum quietis? Nam, vt eſt proborum præmium, inquit non nemo Platonicus, participatio mira diuinæ lucis, ſic impiorum ſupplicium, eiuſdem priuatio: Vtque illa Sanctorum oculos refouet & confirmat, ita improborum ægrotos, & debiles offendit, & exurit. Celebrante Portocalle in Luſitania B. Franciſco Borgia improuiſus labor ita ſolem obtexit, vt de mediâ die ſtellæ comparerent, eâ omnium conſternatione vt rati ſupremum inſtare iudicium, ploratu & eiulatibus totam vrbem implerent, & quaſi poſtremum relictis domibus in templum confugerent, vbi viri ſancti ſe patrocinio, velut diuinæ fiduciæ certo pignore ſolabantur; ſed cùm ne illic quidem lamenta, planctúſque ceſſarent, conuerſus ad illos poſt Euangelium Franciſcus, è re natâ vehementi adhortatione illos admonuit, quàm ardenti curâ & contentione agendum iis eſſet, Solis increati ne vnquam ipſis iubar occideret, cùm huius creati defectus breuiſſimus, neque inſolitus, tantum terroris, dolorúmque afferret; addidítque vnâ lethali noxâ hominem Deo, verâ luce orbari & quanta ex eo deliquio pericula

ricula & calamitates neceſſariò ſequerentur.

3\. Tandem verò quâ diligentiâ, & conatu accenſam lampadem cuſtodimus, eadem à gratiâ defendi oportere quicquid poſſit illam extinguere, docet nos S. Ioannes Chryſoſtomus, nam vt aquâ vel puluere præfocatur, aut ſubducto oleo moritur; ita, ſi terrenis oppleri animum ſiueris, & rerum labentium deſideriis natare, oppreſſurus es profectò ſpiritum gratiæ; imò ſi vento malitiæ validiori obieceris, vel huic obuerſam oculorum, aurium & oris ianuam niſi timore ſancto præcluſeris; ac vt inter oppoſitas ianuas lucernam extingui neceſſe eſt, niſi alterâ obſtractâ, retundatur aura violentior; ſic, niſi, aperto conuitiantis ore, ſileas ipſe ac linguam concludas, illo æſtu ventorum in te ſpiritus lucis extinguetur; quod item euenit, niſi oleo miſericordiæ foueatur. Quæ porrò has tenebras ſequantur miſeriæ, potes ex iis colligere quas denſâ in nocte viator incurrit, quæ tamen flocci ſunt ad illa quibus iter in cælum molientes circumfundi oportet, latrocinia, & graſſationes dæmonum, aliorúmque hoſtium tam infeſtas, vt rari admodum illæſi ad deſtinatum perueniant. Hæc ferè S. Chryſoſtomus.

Hō. 11. in 1. ad Theſſ.

***

CAPVT

CAPVT VI.

Quanti faciant gratiam Beatiſsimi Angeli.

PRæclarum hoc nobis magnus Ambroſius inculcat incentiuum veræ probitatis, *Si vnuſquiſque conuerſionem ſuam gratam fore credat cœtibus Angelorum, quorum aut affecta-re patrocinium, aut vereri debet offenſam*, quod ab ipſomet teſte oculato Dei filio traditum eſt affirmante de gaudio Angelorum *ſuper vno peccatore pœnitentiam agente*. Quæ verò tandem eſſe illa poteſt boni huius magnificentia, quod voluptatis ſummæ aquis torrentibus ebrios, tantâ afficit voluptate, quamuis alienum, longéque extra illos ſitum? euehuntur homines in regna, præficiuntur florentiſſimis imperiis, nobilitantur victoriis, & triumphis, & ſilent adhæc beatiſſimi cæli ciues, nec videre has glorias, aut auertere videntur, nedum adeptis vel eorum agnatis gratulari: reſtituitur homulus ex mendicabulis, aut putris è cellis nouaria in Dei gratiam, & totum feſtâ gratulatione impletur cælum: Mercatori opulentiſſimo, & factioſo redemptori exigua lucra pro quiſquiliis ſunt, & ingentis boni amplitudo minorum deprimit leuitatem. Quantum eſt igitur gratiæ momentum ac pretium, quæ ſupremas mentes infiniti boni beato ſpecta-

I. l. 7. in Lucam cap. 15.

culo & amore plenas aduertit nihilominus, & alienæ fauſtitatis incredibili gaudio perfundit? & hæc cùm ita ſint, vocaríque in dubium nequeant, quæ noſtra fatuitas, in eius gratiæ conſeruationem mœſtos incumbere; eius prædonibus arridere; ereptam non ſentire, ſed hanc ſempiterni iacturam theſauri, luto & paleis quaſi æquâ ſorte conſolari? Ah! ſtoliditatem tantò magis deflendam, quantò vix vlla communior: Huius lætitiæ de trunco gratiæ ſurgentis probè gnarus propheta. *Gaudens*, inquit, *gaudebo in Domino*, nullis ſiquidem aliis in hac vitâ rebus, gaudentes gaudemus, ſed timentes, anxij, laborantes, multóque abſynthio læta pocula diluentes; vnum ex gratiâ purum eſt, omnémque triſtitiam ex benè cordato homine excludit gaudiũ, *& exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me veſtimentis ſalutis, & indumento iuſtitiæ circumdedit me, quaſi ſponſum decoratũ coronâ, & quaſi ſponſam ornatam monilibus ſuis*, hoc eſt gratiâ, virtutibus, ſpiritu, quæ nunc temporis magna & ſyncera, olim maiora & æterna; cum heu! cætera quibus hic ludimus atque illudimur, breuia, ſollicita, turpia, venenis fœta doloſis & dulcibus, ac demum nulla ſint, ſed funeſtorum malorum cauſa. Quin ne id quidem ſat liquidò lætari conceditur quòd ſubiiciantur nobis dæmonia; vna eſt ſolida lætandi ratio, quod ſint gratiæ iure nomina noſtra in cælo conſcripta.

2. Eius autem ſanctæ voluptatis, quam ex reſtitutis in amicitiam Dei hominibus hauriunt Angeli,

Angeli,tres videntur cauſæ potiſſimùm. Prima Deus; altera Angeli; tertia nos ipſi. Quàm enim iucundo & intimo ſenſu afficiatur Deus ex reconciliatâ ſecum errante animâ, patet in paſtoris ouem requirentis, tum impatientiſſimo labore, & alia omnia oblito; tum in vicinorum conuocatione ad mutui gaudij gratulationem; ex repertâ demum poſt euerſam ſuſdéque domum pretioſiſſimâ margaritâ; ex afflictiſſimâ & ſuauiſſimâ illâ voce, ignotum adhuc diſcipulis cibum, & baptiſmum anxiè cupientis, perfectionémque humanæ ſalutis à Patre ſibi concreditæ, & *quomodo coarctor, vſque dum perficiatur?* O iuſte rerum amantiſſiméque æſtimator; quanti gratiam & emis,& vendis? Quanti apud te eſt hæc gemma? Quanti nos viles & ingrati, etiam poſtquam marcuimus & computruimus? Gaudes bono noſtro, plenus tui, & nullius egens; nos tuo & noſtro vtriúſque egentes, quod niſi aſſequimur, perimus, vix heu! tangimur, quandóque etiam faſtidimus; has verò Angeli diuinæ bonitatis tam benignas in hominem gratiæ reditum inclinationes cùm videant, non poſſunt eaſdem quin toties lætitiis rapiantur, audito præſertim illo excitantis geſtientíſque præconio, *Congratulamini mihi.* Deinde ſedium ſupplendarum cùm ineffabili deſiderio teneantur quas primi perduellis populata eſt atrox ruina, dici non poteſt quibus diffluant gaudiis, cùm potiundarum illarum certiſſimo pignore cernunt hominem ditari; Quod profectò nos quoque vehementer vrget ac ſtimulat, in eiuſdem

tuendæ, æſtimandæ, amplificandæque gratiæ ſtudium, cuius gratiæ conſtanti propugnatione in Seraphinorum iura, ſedéſque transferimur, amiſſione in dæmones vertimur. Tertiò quî poſſunt naſcentibus regi ſuo hæredibus filiis, clientes Angeli non gaudere? & hos quidem in terris feſtos plauſus regnorum, infantes nequeunt, cùm primam lucem excipiũt, ſentire aut intelligere: Nos hæc cælitum Aulicorum celebrari nobis natalitia cùm ſciamus, quoties in ſacro Tribunali abſoluimur, & ſalutari ſententiâ vicarij iudicis, vitâ donamur nouâ, vel augemur, mixtam futuri propoſito, & tranſacti verecundiâ lætitiam illorum lætitiæ iungamus.

3. Exultare fecimus Angelos, inquit S. Bernardus, cùm conuerſi ſumus ad pœnitentiam, feſtinemus ergo illorum de nobis implere lætitiam: Quid dico Angelorum? Totius imò cæleſtis Aulæ, ſacratiſſimæque illius Reginæ, & adorandæ Trinitatis, cuius etſi nihil quidquam intereſt, in ſuâ nos gratiâ habere, ſed noſtræ cupientiſſima ſalutis, eius reparatæ gratulationes ab cælo repetit vniuerſo. Benè, ô Deus! fauſtè, ac beatè quod ſolus bonus es, ſolus miſericors, potens, immenſus, ex nullo aptus, teipſo contentus, at hiſce tuis intentos, & immerſos fruendis, laudandíſque gloriis cæleſtes ſpiritus, ad hanc boni noſtri celebrationem concurrere, quid tantoperè attinebat? O gratiæ bonum inæſtimabile! ô planè primariã Dei ac præuertentem cæteris omnibus Dei curam! ô lætitiam beatorum cælíque omnis gratulationem!

tionem! Hæccine verò nos tot ſummorum Regum Regíſque ipſorum tam pura gaudia, modò nata, modò florentia, deformi relapſu corrumpere? haſce tam nobiles gratulationes ludibrio difflare, recidiuâ perfidiâ violatas? hunc plauſum in luctus commutare, quibus Angeli pacis in amaros fletus denuò ſoluantur, & Spiritus ſanctus iterum contriſtetur? Auertant à nobis præſides Angeli tam fœdam barbariem, & confirmet diuina bonitas quod operata eſt in nobis, nóſque immobiles columnas in templo gratiæ faciat.

CAPVT VII.

Gaudere gratiam numeroſo Beatarum mentium comitatu.

VIrago illa ſolem pro chlamyde induta, & animam referens Deo gratam, Michaëlem narratur, & propugnatorum Angelorum confertam militiam in excubiis habuiſſe. Iacobus in patriam rediens obuios ſibi miratus Angelos, caſtra Dei eſſe agnouit: Vidit Elizæus eorumdem auxiliares turmas pro ſe ac diſcipulo armatas: & Moſi Abbati moleſtiſſimis tentationibus vexato, monſtrauit Abbas Iſidorus ex edito loco digeſtos ſanctorum ſpirituum ordines, & hos, inquit, omnes exercituum Dominus ſeruis ſuis ſuppetitias mittit, pluréſque à nobis, vt vides, ſtant, quàm ex parte aduerſa- 1.

riorum; Quod expromiſſo admodum illuſtri prouidentiæ diuinæ fieri, Rex vates indicat, dum ait. *Caſtrametabitur Angelus Domini in circuitu timentium eum*; Et hos S. Bernardus explicat caſtrorum choros in Sunamitide laudatos, & equitatum Dei Pharaonis curribus obiectum. Hæc verò tam ſedula, & concors, tam beneuola & conſtans noſtri cuſtodia, ſanctiſſimis Geniis non aliam ob cauſam tantoperè cordi eſt, niſi ad gratiæ conſeruationem in nobis à Deo repoſitæ; hanc ſeruant æmula ſollicitudine; hanc argento diſtinctis muræ-nulis aureis conantur excolere, hoc eſt, charitatis executione aſſiduâ & prompta reliquarum virtutum elegantiis variatâ; huius nobis tuentur poſſeſſionem firmam, ſupplendis ipſorum in cælo manipulis deſtinatam; *omnes* enim, nec ſolum cuſtodes, ſed etiam ſupremi *ſunt adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis*, ſeu per ſe orando, ſiue inferioribus ad ſubſidium mouendis mittendíſque, ſeu piorum precantium ſupplicationes, deſideria, & labores in conſpectu maieſtatis abſconditæ, acerris aureis ventilando: tantus eſt ſplendor & lepos gratiæ animam decorantis, vt beatarum vigilias mentium & curas, vt aſſertationes, & tutelas, vt vota, ſtudia & oculos iucundiſſimè paſcat, & teneat.

Pſal. 33. Hebr. ſerm. 39 in Cant. Theod. ex Pſell. in cant. Baſil. Chryſ.

2\. Quæ poſt hæc nobis metuendi diffidendíve materia? niſi tenebrarum poteſtates, timendas cæleſtibus fingamus; Qui nobis vſquam de ſolitudine noſtrâ mœror, tam amico deor-

ſum

ſum ſanctorum militum globo cinctis, tam validọ ſurſum fauore atque præſidio? niſi nos vltrò in hoſtium fauces protrudamus, & inſeramus in eorum catenas proditione ſeruili reas manus, à nobis profectò colaphis cæſi abſceſſerint, tantùm abeſt, vt quicquam extorſerint: Orando Moſes, pugnando Ioſue Dei hoſtes fregerunt, nos decertantibus nobiſcum in terrâ præſidibus Angelis, Seraphinis in cælo precantibus, quis fore victores dubitet? dũntaxat quod illi aliena in cauſa peragunt, ne ipſi in noſtrâ negligamus, nec faſtidiamus eorum comitatum, noſtrâ lætum præſentiâ, & prouectionibus fauentum. Cuius fortaſſis præſtantiam ſi nondum capimus, illius menſuram ex comitantium dignitate, dæmonum rabie, & debilitate noſtra deſignemus. Quid enim ſi errans ouicula fami centum luporum imminens, centum repentè paſtoribus cingatur? Infirmus heu! per ſe homuncio, peccati tabe infirmior, peccandi aſſuetudine vix conſiſtens, multò minus ad ſæuas in lapſum impulſiones gradum valens ſuum retinere, multóque ægrius ſupra naturam aliquid eniti vitreus, aëreus, luteus, quâlibet aurâ verſatilis, atque difflabilis, leonum rugitu famelico circum terretur, poſcitur, affligitur, iam iámque diuellitur: Væ miſero! niſi opem quis ferat actum eſt, mortis præda fit, & dæmonum eſca, rogíque pabulum inextinguibilis; ſed felicem, quem indagat paſtor, cui adſunt vindices, quem ſeruant, & aſſerunt, fidóque ſatellitio ambiunt, tutores, lupis, & leonibus formidandi. Quid hac ſecurius

curius Angelorum cuſtodiâ, quid maius honorificentius, admirabilius? Riſit antiquitas ſtultitiam principis, qui ex itinere cùm ſub platanum diuertiſſet, eamdem diſcedens pretioſis donauit torquibus, topiariis muniuit, aſſernaturis, culturíſque præcipuâ operâ, & odorato liquore rigaturis; Quid ſi ouiculæ vnius ſcabioſæ non diſſimilem curam primariis regni principibus mandaſſet, velletque ingenti numero illi deducendæ, obſeruandæ, tuendæ, eiúſque cenſendis ac referendis ad ſe paſſibus, nutibúſque ſeriò vacare? ô amatorium gratiæ, Dei etiam viuendi potens; ô Dei amorem in animam gratiâ fulgentem hominum more ſapere neſcium! *Angelis etiam ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus viis tuis*, minimis, maximis, ſuſpiriis, gaudiis, votis, timoribus, denique omnibus, porténtque propriis manibus, *ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum*, quin & eorum auxilio tutus baſiliſcos, & aſpides pede intacto, ac domino elidas, & draconum, ac leonum colla veſtigio obteras. Ah quis? quibus? de quo? & quænam mandauit; hæreret animus ad ſingula extra ſe poſitus, niſi gratiæ apud Deum inæſtimabile pretium ſtatim recurreret.

3. Nam quid fingi tandem in ouiculâ poteſt, miniſterio proſequendum tam ſublimi, ac pluſquam regio; etſi ambarum ſudet, ac pro villis gemmas, adamantes, & pyropos mittat; niſi portentoſâ transformatione, regis in filium, aut ſponſam tranſeat? quod prodigium, naturæ ignotum penitus, gratia repræſentat, ſubleuátque

que hominem belluino ex ortu, & conditione, ac turpitudine in ſocietatem mentium æternarum, Deique ipſius delicias, amorem, & adoptionem. At enim quid adeò mirum, præſtò eſſe ſemper Dei famulis Beatos Angelos, cum ipſemet Deus in iis tanquam ſacrariis habitet & quieſcat? hunc ſuis ponderibus honorem, niſi ſumus plumâ leuiores, debemus pendere, venerarique tam nobiles excubias ſecuritati noſtræ peruigiles, ſanctorum operum ſocias atque hortatrices, gratiæque in nobis diuinæ tutelares: Sit eiuſmodi nobis vita quam poſſint ſuo dignari fauore, ac Dei oculis exhibere; ſint mores qui non dedeceant excellentiam tanti comitatus, ſit mens earum cuſtodiæ, conſiliiſque tractabilis; ſit cogitatio ab terrenis purgata cæloque affixa; præ omnibus verò ſit robuſtum pectus,& tenacior gratiæ quàm vitæ mentis excelſitas, alioqui expulsâ gratiâ, neceſſe eſt totam hanc eius aulam frequentiſſimam & feliciſſimam pariter diſiici horrentem animæ veluti cadauer ſuâ orbatum luce, vita & gloriâ,ſuâque iam graueolentiâ non ferendum; huic verò confuſas ſuccedere cacodæmonum furentium cateruas deſerti ab gratia hominis crudeles, & indiuiduas comites imò & dominas, ipſo vix cuſtode Angelo liberos ad illum aditus, certè difficiles, ac, ſi fas dicere, moleſtiſſimos retinente. Vide Magdalenam has expertam vices, & dæmonum vniuerſitati abſente gratia mancipatam, præſente, ſtipatam miniſteriis Angelorum longè fidiſſimis, & ſuauiſſimis

uiſſimis. Vide, inquam, & opta tam diſſimili ex ſorte, vtram putaris expetendam.

CAPVT VIII.

De incredibili pretio quod facit bonis operibus gratia ad promerendam æternam gloriam.

1. MAgnum ingredimur diuinæ gratiæ theſaurum, opúmque illius vaſtiſſimum pelagus, eo eſt enim apud Deum loco & Dei oculis tantum placet, vt qui ſunt illius compotes tum Deo mirificè placeant, tum nihil boni agant, quod non ſit illi pariter acceptum, & acceſſionem gratiæ mereatur, ipsámque gloriæ immortalitatem; hoc certa religionis veræ
Seſſ. 6. c. 10. fides Tridentinis decretis conſignata, hoc auctoritas Patrum, hoc Sacræ paginæ, in quibus ſapiens, *fructus*, inquit, *iuſti lignum vitæ*, quæ nempe iuſti operibus debetur; hoc ipſa ratio perſuadet; filiis nimirum inſiſtentibus patris imperio, negari patrimonium non poſſe. Intereſt enim mirum quantum, inter opus quantumuis eximium aut exile, profectum ab homine gratia priuato, & gratiâ prædito, cum is nullum ſperare in cælo præmium valeat, hic beatitatem certò norit ſibi eſſe illic repoſitam, haud quidem ſolius operis titulo, quod plerumque fuerit tenue, ac nullius in ſpeciem momenti, ſed filij iure; ſeu

ri · ſunæ

Digitized by Google

perſonæ, quam cum gratia induit, ſingulari, & inæſtimabili dignitate; ſic ſublatis tantùm in cælum oculis potuit Chriſtus ſummo iure ſatisfacere offenſo Patri, mundóſque centum redimere, infinitâ filij naturalis, omniúmque domini bonorum dignitate, pretium infinitum leui per ſe operi tribuente. Quod ex agentis merito, ac ſtatu pondus ſi ponamus ab opere abeſſe, quantumuis egregio, ipsáque adeò Chriſti morte, ne vni quidem redimendo homini ſit ſatis, tantum abeſt, vt orbi vniuerſo. Iam quis vim gratiæ non miretur, quis pulchritudinis illius tam potens imperium, vt quicquid ab ea proficiſcitur òperæ, tametſi obuiæ, & exilis, minore non poſſit quam Dei totius ſtipendio exolui, tantum in eo, Deus gratiarum videt, quodcunque à gratia profluit: Vnde non ſolam ſponſæ, illam poſſidentis formam perfectiſſimam celebrat, ſed vnum ſeorſim oculum, capillum vnum, vocem, labia, greſſus, aſcenſionem, veſtis fragrantiam, vt intelligamus ipſas quoque cogitationes illius leuiſſimas, motúſque animi etiam tenues ab gratia ortos acceptiſſimos Deo eſſe, ac orbe toto pretioſiores, quòd ipſa ſit Deo mirificè grata. Hinc verò vtinam id ſaltem maneat perſuaſum, quàm ſit gratiæ ingens, & inconſolabili fletu lugenda iactura; cum præter opes hactenus recenſitas cunctorum ſpes & fructus operum perdamus, quibus ſingulis æterna felicitas parabatur. Nam etſi quis omnia in ſe vnum afflictationum genera colligat, quæcunque olim obſtupuit Thebais, & quæuis vbique ri-

gidorum cauernæ aſcetarum; plura effundat in egenos quàm mille Craſſi habuerint, ſi caret gratia nihil egit, quod quidem ad gloriam valeat; reddatur gratia miſero, & adorandum IESV nomen vel ſemel efferat, cæli regnum hac modo voculâ, ſed de fonte gratiæ ſonante, ſui iuris facit, & quoties idem aut ſimile præſtabit, eamdem gratiam tanti parentem boni, & eiuſdem regni ſibi iam debitam exaggerabit portionem: magnum planè, prorsúſque inauditum, veteranum, decrepitum, cicatricoſo, perfoſſo & lacero corpore, quin & ſemianimi, nec toto, nummum capere ſolum & ſilentio præterire, bene habitum Tyronem, quod conſtituerit ſtipendia facere, mox regno præfici, & quot inde paſſus promouerit, prouincias totidem regnáque obtinere. Quem hæc prodigia non ſibi eripiant, ac ſtupore defigant: atqui ſunt miracula gratiæ maiora, cum ea defectus de ſtipendio æterno, ne poſſit quidem obolum ſperare, etſi centum ætates militarit.

2. Quæſo per illum, obſecro IESVM CHRISTVM, cuius nos meritis gratia donamur, hæc ſuis momentis attentè libremus. Quali præmio tandem, qualia nobis opera reponantur, duntaxat gratia comite peracta: præit Apoſtolus
2.Cor.4. dum ait, *momentaneum ac leue tribulationis noſtræ æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Verum quid huic tantæ leuitati tantum poteſt adiicere ponderis? Quid lancem in qua ſit talentum alterâ lance attollere, cui feſtucam modò inieceris, niſi addas feſtucæ par talento pondus? palea eſt quicquid valemus, & agimus

mus ad immenſitatem gloriæ, quam Chriſtiana prenſat ambitio; nec ſunt ad illam huiuſce temporis condignæ paſſiones; immane ſit pretium oportet, quod tenuitatem earum fulciat, eiúſque gloriæ non æquet modo pondus, ſed eleuet: hæc vero gratiæ virtus eſt, hæc autoritas, & maieſtas, huic impoſita feſtucarum noſtrarum momenta æternæ gloriæ infinitati præponderant, hoc eſt ſummo bono, ſumméque perfecto, felicitati ſummæ, vltimæ, ſempiternæ. *O inaudita pietas,exclamat* S. Petrus Chryſologus! *ô ineffabilis affectio in ſocietatem cenſus paſtor oues aſſumit, atque ad conſortium dominationis ſeruos Dominus adſciſcit.* Quæ comparatio regni æternum beati cum potu frigidæ; cogitationis piæ cum poſſeſſo Deo, precatiunculæ cum cœlo? Felix, ter, quater & millies, quem facit verus admiſſorum dolor confitentem reum, & in amiſſam cum Deo gratiam reducit, horum pignus & cauſam admirabilium; totus cor fiat ad amandum, ad laudandum lingua, manus ad agendum, fructúſque operum meſſe copioſiſſima legendos.

Quis cupiditate ſanctâ non ardeat cumulandarum opum tam pronis conditionibus, tam facilibus lucris præſtantium, & Deo præſertim tantopere acceptis & optatis, animam vocanti, excitanti, vrgenti, ſponſæ, amicæ, columbæ, formoſæ nominibus vt ad paratas coronas properet, progreſſuque vitæ ſanctioris, ad ſe feſtinet & aduolet. Nam etſi lethalis noxæ reo haudquaquam liceat ſuperſedere piis operibus, 3.

ne ſimul diuinæ miſericordiæ ad ſe aditum præcludat, quæ ſolet iis mota reum ad repetendam gratiam mouere, ſimul aduerſis rerum, aut corporis caſibus aperiat; verùm diuinæ poſſeſſor gratiæ, culpâ ſanè haud paulo grauiori ceſſaturus ſit, vel punctum temporis ab eâ ſanctis operibus occupandâ, augendáque vt Deo in horas gratior, meritis ditior euadat. Subduntur ad hoc nobis aculei frequentes cum iubemur ſanctificari etiamnum & iuſtificari, iuſti licet & ſancti; in charitate creſcere; beatum putare, qui aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit, & ſexcentis locis, modíſque admonemur ne pretioſæ nundinationis vacuas ſinamus elabi nobis opportunitates. Accedit quod pigro negotiatori magnum inſtat iacturæ diſcrimen. Violentum eſt enim totum hoc noſtrum commercium; & qui nolit damnoſis euentibus inuolui neceſſe eſt ſemper in lucra incumbere, vt aduerſo, torrentéque alueo nauiganti, ſubſiſtendi facultas nulla eſt, ſed abripitur neceſſario impetu profluentis, niſi vehementer in oppoſitum contendat.

Apocal. vlt. Eph. 4. pſ. 83.

Poſtremò an decet regis Dei amicum, & filium præferre vrbanis ac regiis moribus ruſticanos? paternis, mancipiorum iudicia? cœleſti conſuetudini terrenam? negare Deo, ne ipſum quidem ſe neganti quod tantopere ab eo exigit? parcos ei aut nullos, expectanti fructus lætiſſimæ vineæ, nimirum gratiæ, reddere; cum, ſi manus colentis non deſit, vberrimos ferat, atque perpetuos? gaudere ſæpius aliis, quàm ſponſo ac parente Deo, cuius ſit ſemper

ſemper intentus in animam gratia ornatam, velut in peculiares delicias oculus ? ſus, déque habere, vt illi vtilior, hoc eſt, gratior euadat, à quo in hunc finem tot præſidiis eſt munitus, & qui noſtris vtilitatibus, & oblectamento in omni facturâ ſua conſuluit ? ô noſtram! quo nomine appellem ? ne ſatanæ quidem noſtri quot horis centies homicidæ has vices rependimus.

CAPVT IX.

Quàm ſollicitè ſeruanda ſit gratia ob emolumentum gloriæ operibus debitum ex gratia profectis.

DVra nobis, è proximo capite, ſed ſalutaris 1
ſpina configitur, metúſque gratiæ amittendæ, retinendæ artifex tutus & ſedulus. Eſt enim luctuoſiſſimum peccantem audire, cum ſupinè impudens & confidens, mox ait, quod tantiſper pecco, confeſſione ſacra expiabo. At vnde fatue & væcors ? vnde id habes te facturum ? cogitas miſericordem Deum, & obliuiſceris vindicem ? ſperas clementiorem, quia proiectius læditur ? putas præ innumeris quos hæc deſtabilis fiducia inferis addixit, rem tibi commodè ceſſuram ? & cedat, vt cupis, túque poſt quartum aut octauum diem furere deſinas; iacturam interea immenſam feceris,

nec

nec vllo ſat fletu farciendam: mitto infamiam peccantis, ac turpitudinem Deo & ſuperis inuiſam; inimicitias cum Deo, cum morte pactum, fœdus cum dæmone, hac lege, vt dextro multatus oculo ſeruitutem illi deformem ſeruias; mitto & alia, quæ breuiſſimum licet ab gratia Dei exilium, poſſunt homini ſano efficere, omni tormentorum diuturnitate acerbius; at diſpendium meritorum irreparabile, quibus velut totidem regnis amplificaturus fueras beatitatis tuæ in cœlo portionem, quo pacto ſolabere? nam ſtatu gratiæ exturbatus nullo tuo labore, nulliſque ſudoribus promereri vales, vt tibi particula cœleſtis præmij vlla debeatur, non ieiuniis, precibus, miſericordia, tolerantia, quæ interim obire partim quidem conducit, partim neceſſe eſt, nunquam tamen recuperanda præcipui meriti iacturâ, quod his alioqui virtutum ſtudiis in promptu fuiſſet. Iam ſi argentarius opulentus, immenſam auri vim mille ſibi quotidie nummos parientem vltrò in mare proiiciat ſperans fore, vt inde poſt menſem, aut citius extrahatur, Quis non illum dicat non modo pecude minus de homine habere, ſed planè ſtipitem præſertim nihilo alacrius agentem quam ſi nullo ſuo diſpendio id egiſſet. Atqui confitebor peccatum, inquies. Quid tantum refert, ne paucis diebus illo fruar? Os impuriſſimum, ac ſceleſtiſſimum, quid referat quæris, ne abs te diuina, & ſumma bonitas prodatur? ne in aliquot dies eius hoſti nefando dæmoni ſacramentum dicas probroſiſſimæ ſeruitutis? ne

certò

certò plus perdas, quàm quanti ſint quotquot
condi poſſunt à Deo mundi? parum tibi vide-
tur referre, ſi vel in horam id barathrum ſu-
beas, in quo non poſſis tui ſempiternam vita-
re horrendámque iacturam, niſi inde miracu-
lo omnium maximo, ab offenſo Deo perduel-
lis eius ac proditor eruaris?

Ac licet nulla re offenderetur Deus, excu- 2.
ſandis erroribus, precando rariùs, laxiuſculè
viuendo, quanta tamen in dies, in menſes,
in annos quàm pretioſa damna computabis ſi
attendas occaſiones meritorum multas quot
horis non deeſſe, augendæ in præſens gratiæ,
charitatis, comitúmque virtutum, gloriæ au-
tem in futurum. Ter Dei quotidie amorem ſi
actu aliquo profiteris, centum ferè quot men-
ſibus gratiæ tibi gradus paras; ſi continuantur
menſibus menſes, & annis anni quamuis vltra
decennium vitam non proferas, quam diues
cœlum mille auctus gradibus meritorum in-
trabis, æquali gloria penſandis? Hos verò
tres charitatis in Deum affectus cum omittis,
qui potes tibi de iacturæ huius leuitate deli-
ria fingere? Quid autem illi, qui cum Apoſto-
lo mortificantur tota die, quorum ſemper in
ore Dei laus, in mente amor, in manibus cau-
ſa; quorum vita omnis meritum eſt; quantâ
demum, quàm mirabili pompa in paterni re-
gni poſſeſſionem inducuntur? Quæ cùm ita
ſint, quis vna vel triplici, afflictatione, ie-
iunio, precationis hora per hebdomadam ſit
contentus ſi poſſit eius numerum dierum, imo
& horarum atque minutorum, numero ſan-

ctorum operum implere : Verùm liberæ ſint corporis afflictationes , certè prauorum motuum , citra culpam nequit omitti repreſſio; in quo eſt duplicis lucri neceſſitas , tùm ne offendatur , ſaltem aliquo modo diuina bonitas ; tùm ne pereat debita gratiæ portio ſeipſum viriliter domanti : At ſi lethalis immineat noxa, hoc eſt ſi totum tibi agatur cum Deo cœlum, omnéſque gratiæ theſauri ; cuius tantus ſit in Deum furor , rabies in ſeipſum , vt malit peccando omnia perdere , quam repugnando locupletari immenſo quæſtu, & breuiſſimâ luctâ incorruptam coronam promereri ?

5. Adiungi his debet , ex duobus profectum, diſpari gratia præditis, par opus,& pari vtrimque ſtudio patratum , longè diſſimili præmio donari , cùm præter fontem merendi gratiam, addat maior perſonæ dignitas operi quod obit, præmij titulum ampliorem ; gradum itaque adeptus gratiæ diuinæ centeſimum , ſacram menſam dum adit , ſi totidem gradibus augetur , qui mille iam gradus poſſidebat ad eamdem accedens altero tanto , id eſt decuplo quam ille alius ditetur neceſſe eſt , etſi neque maiore animi comparatione , nec ardore ad eam acceſſerit , ob dignitatem videlicet,quam illi amplior gratia inter amicos Dei & filios parauit maiorem. Cùm ergo in titulos cauſáſque meriti tam vbertim redundet gratia, patet dum ceſſatur à ſancto opere non eius ſolùm mercedem operis amitti , ſed incrementum præterea meritorum , quod conſecutura omnia manebat opera , ſi autorem haberent gratioſiorem.

rem. I nunc infeliciſſime, ac ingratiſſime, quà cœpiſti, & ſcelus capeſſe confeſſione ſperatâ eluendum: Quæ tibi deteſtabilis fiducia, ſi fortè ex voto proceſſerit, iacturas interea gratiæ meritorum; & gloriæ ingentes, æternas, innumerabiles, quo pacto, aut pretio redimes? redibunt, ais, cum reditu gratiæ, quæ cum ipſa perierunt bona; itane? Sed quæ interea, dum in peccato hæres, magnis acceſſionibus quæſiſſes, vnde ſarcies? ſed dignitatis imminutionem ex qua illa creuiſſent? ſed, ô ſaltem pauendam, ſi minus indubitatam ſententiam! Sed per omnem vitam hauſtos a Sacramentis fructus gratiæ, meritorum & gloriæ (quos volunt grauiſſimi Doctores mortiferâ culpâ in perpetuum perimi, & perire) quibus ſupputabis numeris, quibus viribus reuocabis? Vaſq. 12. diſp. 221. V Mairatium de pœnit. diſp. 16.

CAPVT X.

Ingens gratiæ bonum, quod operibus cum eâ factis debita peccatis ſupplitia condonentur.

PRæter glorioſæ immortalitatis pretioſiſſima merita, pendet ex influxu diuinæ gratiæ vis quoque pœnas eluendi peccatis debitas, quam habere opera non poſſunt quæ extra gratiam obeuntur. nam vt reſtitutis in amicitiam priſtinam duobus, manet is tamen de-

Digitized by Google

trimento luendo qui dedit obnoxius, ſic cui admiſſam culpam clementiſſimus remiſit Deus, exſoluenda reſtat, vel hic dum vixerit, agendo, ferendóque, vel piacularibus in flammis, non deinceps agendo, ſed ferendo, pœna; quæ cùm ſit illic quàm apud nos centuplo grauior, vt S. Bernardus ſignificat, præuertenda eſt à nobis aſſiduitate ſanctorum operum & laborum, quibus aut penitus, aut magna ex parte abſoluatur: At ſi cum S. Gregorio pœnas illas atrociores cogitemus tormentis Martyrum exquiſitiſſimis; cum S. Thoma etiam Chriſti ſuppliciis; cum S. Anſelmo, iis quæ poſſunt cúmque in hac vita infligi; cum S. Cæſario ipſa mente fingi; ſi cum Theologis illarum ignes ab inferorum ignibus non differre; inuri ad parandum cœlo, expurgandum peccato, quod vtrúmque immenſum eſt, animum; ad compenſandos temporariis æternos cruciatus, neque adhuc tormentum quod damni vocatur, multò iam dictis acerbius in hanc rationem venire, demùm quàm multis & horrendis viſis, quàm certo nobis probatæ ſint; hæc inquam omnia ſigillatim ſi altè in animum demittamus, longè aliud feramus de pœnarum illarum expunctione præuertendâ, vrgendáque iudicium.

Serm. de obitu Hũberti.

In epiſt. 1. ad Corinth. c. 3. hom. 8.

3. Tibi verò, qui abs te gratiam fugaſti, quid tandem ſupereſt quô poſſis illas expungere: num morbi, fames, inopia? num contumeliæ, direptiones, dedecora; corporis & animi dolores, & quicquid miſeris in hac vita tolerandum occurrit, vel ſponte à bonis ſuſcipitur?

tur? Licet hæc in vnum congeſta perpetiare, ad ſupremum diem, ne lapſui quidem leuiſſimo poſitam pœnam deleueris, cum ſuo ab hoſte, dum eſſe hoſtis pergit, ſatisfactionem accipere diuina æquitas nullam poſſit. Quod vſque adeò verum eſt, vt cogatur ſontes, quos magna ſcelera perpetuis damnarunt incendiis ob tenuia quóque & minima nullo fine torquendos tradere, quòd prodire ab ipſis legitima ſatisfactio non valeat pertinaci odio in Deum optimum obſirmatis; ſiue ergo cum iis damnandus, ſiue piaculo purgantium ignium committendus, vides quanti tua interſit gratiam retinere, velut abacum inexhauſtum, inextricabilium nominum, & incomprehenſarum rationum.

Potentem omnino gratiæ opulentamque gazam! theſauros & benigniſſimos & immenſos! Quid enim ſi Rex ingentis Imperij priuatâ lege cuipiam ſtatuat, eius vt oboli pro mille nummis ſinguli valeant, quàm repentè hic nomina explicet, totóque exeat ære alieno? Quàm multis præterea gratificetur eamdem libertatem, ac rei acciſæ leuamen? Quot reponat poſteris aceruos? Sic prorſus pio, ſed tenui, ac breui labore ex ſinu gratiæ deprompto obliterantur pœnæ centuplo ſæuiores, ac diuturniores, & quod alioqui futurum erat penè inutile pro immenſo nobis pretio imputatur. Quo ſenſu quidam promiſſum à Chriſto hîc centuplum, illic æternam vitam præclarè accipiunt de centupla ſatisfactione, quæ ſanctis operibus adſcribitur in hac vita, & æterna 5.

mercede in altera; quæ proborum opes ad exſoluendas admiſſorum mulctas tantopere affluant, vt communicari poſſint cum aliis, ſeu fato iam functis, ſeu viuentibus: Quod ſi foret eius quem antè fingebamus ſingularis munificentia principis, qui peculiaris amici obolis nummorum mille valorem faceret; quàm ſumus nos quoque ſi volumus erga amicos munifici, cum diei vnius labore egregio, mille demimus dies de prolixiſſimo cruciatu, quem erant poſt relaxata ſibi crimina paſſuri. Sed hæc eſt gratiæ munificentia potiùs quàm noſtra, ex cuius ærario locupletiſſimo tot nobis, tot aliis in præſens atque in futurum tam faciles diuitias plenis manibus haurimus.

Capvt XI.

De communione omnium bonorum, quam gratiâ præditi cum ſanctis eximiam obtinent.

1. ABundant Sancti geſtorum præſtantium tam dulci & optatâ meſſe, vt eius in partem ſe veniſſe Rex vates geſtiens lætus canat. *Particeps ego ſum omnium timentium te, & cuſtodientium mandata tua:* Contra reus mortiferi criminis, & vita gratiæ, & vitæ ſancto Spiritu caret. Deinde pœnarum leuamen ex piis ſanctorum laboribus nullum poteſt ſperare, cùm infenſiſſimo Dei hoſti remitti pœna

niſi

niſi poſt expiatam culpam non valeat; multò minus valet in aliorum cauſa ſatisfactio ab eo exhibita; Adhæc, pateat licet Eccleſiæ fiſcus, & Chriſti Domini Sanctorúmque opes in ſolatia piorum, Pontificis indulgentiâ effundantur, nihil earum prorſus ad illum pertinet; extorris item eſt ab quinque Sacramentis, quæ nefas eſt illum attingere; extorris ab illo ſacrificij fructu, quo ſcelerum venia continetur; extorris denique ab iis animæ præſidiis, quæ vbi defuerint, adeſſe illic magnas miſerias, oportet; quibus (quod nunc eſt) prætermiſſis, id modò attendamus, quæ futura ſit eius calamitas, quem, cùm ſit duris creditoribus obæratus; iuuare nemini per leges liceat, nec preſſum immani infinitorum nominum pondere, vel teruncio leuare; pluat aureus in cæteros omnes de cœlo imber; cruciatuum ſuorum opibus Martyres; miſericordiis Patriarchæ; Prophetæ Sancti deſideriorum anxia expectatione; ſudoribus ſuis Apoſtoli; aſperitate vitæ beati Confeſſores, ipſa Virginum Virgo, & Sanctorum Regina: Imò ipſemet Chriſtus, toto quantus eſt, & quam infinitus meritorum theſauro, alios impleant, alios liberent, alios beent; ne talithrum quidem de illius pœnis exemerint, qui diuinâ gratiâ ſit orbatus. Quid hoc infelicitatis eſt, ebriis reliquis cœleſti ambroſia, & Eccleſiâ natante diuinarum fluuio indulgentiarum, te ſiti, ac fame interire crudeli, iuſto ſupplicio vetitum has menſas attingere; quin etiam apertum aliorum votis & manibus Sacramentorum

ærarium

ærarium tibi eſſe præcluſum; aut ſi accedere ſacrilegus audeas, præter necatura venena, & cruciaturos æternùm carbones, nihil inde efferre, dum alij diuitias referunt immortales? nec verè opus eſt (inquit autor doctus, & religioſus) ad hancce cenſurâ Pontificio fulmine, tua te conſcientia, coram Deo & ſuperis facit communionis huius exſortem; vt cùm interiora febris depaſcitur, ægrotas, etiam medico ſilente. At ſi eſt adeo formidandum telum execrationis Eccleſiaſticæ, vt à perditis quoque horreatur, puténtque intolerandum probrum ab ſacris, iudiciis, teſtimoniis & precibus arceri; quanto formidabilius peccatum, quod verè peccanti communione ſanctorum interdicit, deletúmque de albo filiorum Dei, mancipiis ſatanæ adſcribit!

2. Heu temeritatem noſtram his ſe vltrò mergentem, & inuoluentem malis! Quid agimus obſecro, dum peccamus, niſi abnegato patris Dei, & Spiritus ſancti conſortio, & patrimonio, cognationis Angelorum, communitati cœlitum, omniúmque proborum & Chriſti ſanguini, meritis, ac promiſſis, Luciferi ſortem, imperium, obſequia, communionem præponimus? miſeros nos, ſeu hæc non videmus & capimus, quæ ignorat nemo, niſi ſocors, & volens, & ſemi-Chriſtianus; ſiue capimus, & intelligimus, nec cohorreſcimus ad indignitatem furioſæ amentiæ, anteponentis communionem ſatanæ crudelem, quadrupedum voluptariam, & infamem, communioni puriſſimæ ſanctarum mentium, atque beata-

rum,

rum. Fidi verò gratiæ cuſtodes, cum ſub capite vno, eodem viuant, agantúrque ſpiritu quo & Seraphini animantur, omnéſque triumphantis, & pugnantis Eccleſiæ ſancti ciues, omnium ſinguli gaudent virtutibus, ac geſtis, totóque tum Eccleſiæ fiſco, tum ſacratioribus theſauris myſteriorum venerabilium, nec minùs verè quam iucundè dicunt, mea ſunt etiam, piorum, mea Beatorum, mea Virginis Matris, & Chriſti bona; quòd emolumentum, ſi tantummodò haberet gratia, quibus non artibus & periculis; quâ non ſudoris, & ſanguinis, & cruciatuum prodigâ impensâ, commeatúque captanda, tuenda, retinendáque eſſet?

Nam ad eius cultores eſt illa Dei vox; *Benedicam, benedicentibus tibi, & maledicentibus tibi maledicam*; Ad eius contemptores alia illa terribilis; *Quò mihi multitudinem victimarum veſtrarum? plenus ſum; holocauſta arietum, & adipem pinguium & ſanguinem vitulorum, & agnorum, & hircorum nolui, cum veniretis ante conſpectum meum: Quis quæſiuit hæc de manibus veſtris, cum ambularetis in atriis meis? ne offeratis vltra ſacrificium fruſtrà; incenſum abominatio eſt mihi; Neomeniam & ſabbatum, & feſtiuitates alias non feram; iniqui ſunt cœtus veſtri, Kalendas veſtras & ſolemnitates veſtras odiuit anima mea, facta ſunt mihi moleſta, laboraui ſuſtinens, & cum extenderitis manus veſtras, auertam oculos meos à vobis.* Quâ illorum quoque deteſtatione, quæ laudabilia in peccatoribus videri poterant,

3.

oſtendit ipſam gratiæ abſentiam, quibus odiis inſectetur? vt etiam ſæpe execrabilis fiat eorum oratio, iiſque in peccatum vertatur; & quod eſt terroris maximi argumentum, prohibeantur ſancti à pœnis deprecandis, quas illis irata Dei patientia intentat.

CAPVT XII.

Pluris eſſe gratiam, quæ hominibus datur, quàm quæ olim Angelis.

1. QVanquam non eſt inter ſe diuerſa, qua vigent vtrique ac florent, gratia; ſed mittit peculiares in hominibus radios, quos in Angelis non habet; Primùm enim qua nobilitamur gratiæ Margarita, Chriſti laboribus diuturnis, atrociſſimis cruciatibus, ſanguine, ac morte empta eſt; Quâ verò ornati ſunt Angeli, nullo pretio ſtetit; Cúmque rebus perſæpe æſtimationem, non tam earum præſtantia faciat, quàm magnitudo pretij, quo emuntur; hinc Deo acceptior, & nobis carior videri debere gratia videtur, quæ tanti fuit & pretio nobis à Chriſto parta eſt infinito, præ illâ quam vna in Angelos Dei voluntas prona, & liberalitas nullo ſumptu effudit; ex quo id ſequitur, vt plura tibi, ô nimiùm bone, ac nimiùm prodige Saluator! ob

minimum

minimum apicem tuæ gratiæ debemus, quam Deo Angeli, ob ingentem quem ab eo cumulum acceperunt: illum profectò apicem Deus pluris facit, vt mater filium curis maioribus & periculis educatum; vt Iacob Beniaminum dilectæ Racheli doloris filium; vt Sionem Dauid patriâ plus amauit, nempe cruento bello & magnis moleſtiis expugnatam. Iam ſi Angeli caſum ab nuda & facili gratia prolapſi tanta excepit cæli totius confuſio, vt ſit in dæmonem illico transformatus. Quibus ſuum caſum lacrymis proſequetur, qui gratiam perdens tam carò emptam, conditoris à quo vitam acceperat, non modò fit proditor, verùm etiam Seruatoris, cuius voluntaria morte illam receperat: huius ſacratiſſimo ſanguini, huius perpeſſionibus adorandis, huius vitæ, ac morti, quod nemo fecit peccantium Angelorum, illudit, habétque lugendi triſtiorem materiam, quàm cœlo extruſi ſpiritus ſuo illo ex caſu habuerint. Vah mihi obſtupeſcenti nihilominus, & indormienti malis tam grauibus, ac ſine ſenſu illa cogitanti.

Addendum quod paſtor ex receptâ oue; ex prodigo pater; ex drachmâ mulier, quàm ex nunquam amiſſis plus gaudent, pretiúmque inuentis ex præcedenti iacturâ non parum accedit: Sic planè gratiæ, reſtitutæ nobis potius quam datæ maior eſt æſtimatio, vberiórque lætitia; maius denique *in cœlo gaudium ſuper vno peccatore pœnitentiam agente*, quam ſuper Angelis omnibus in ſuſcepta gratia immotis: Atque hinc nobis alia timendi, & lamentan- 2.

di cauſa maior, ſi nobis denuò pereat, quæ maiore digna gratulatione cælitibus ac Deo viſa eſt, reparata quàm data; ſaltem vt curioſius ſeruamus recepta, quam nunquam perdita; nobis hinc, redditam gratiam tuendi, validior exiſtit ratio, quàm eſſet ſupremis mentibus quæ nunquam illâ exciderant, præſertim cum doctor eximiè pius imperium gratiæ Chriſti morte amplificatum dicat, iámque ad illud præter Chriſti exempla, dictáque omnia, & legis nouæ myſteria, etiam inferis damnatos, eorúmque flagitia ſpectare, & proborum ex iis prouidum timorem, cautionémque ſollicitam, coronas, & gaudia magnum capere incrementum. Inter hæc tamen ex Chriſti meritis huiuſce gratiæ princeps commendatio naſcitur, ex quibus id obtinet vt tanquam membra, nos Chriſto inſerat, quod per ſe aliàs præſtare non valeret; quo pacto palmes ad vitem haudquaquam pertinebit, niſi ab illa ſuccum, vitamque emulgeat, quæ noſtra in Chriſtum inſitio habet ex eo præcipuam dignitatem; vt animæ Chriſti ineffabilis gratia ex ipſa eiuſdem ſanctitate prærogatiuam ſingularem nanciſcitur, etſi ab conceſſo Angelis gratiæ munere, naturâ ſuâ non diſcrepet. Hinc etiam oritur, vt, quanquam gratia ſit nobis, quoad nos, gratuita, at eadem ſit Chriſto debita, eiúſque ſudoribus parta, in ſubiecta membra, ſcilicet nos ipſos, non gratis diuidatur, efficiatúrque meritorum fons tantò nobilior, quanto illa iam nobis ſummo iure ob Chriſtum debentur. Quam ſuam ſententiam

V. Suarẽ l. 7. de gratia c. 9. Trid. ſ. 6. c. 7.

autor

autor grauiſſimus Franciſcus Suarez de precum nostrarum efficacitate pariter affirmat, Deúmque ſuis adeſſe vberiùs, & fauere in Chriſti filij ſui familiam & corpus, Chriſti gratiâ inſertis, quam ſi pari quidem gratia potirentur, ſed nullis Chriſti meritis, quæſitâ. Quò videtur illi multitudo ſanctorum referenda, nunc temporis maior, quàm multis annorum millibus in ſtatu innocentiæ extitiſſet. Noſtrum ergo cum Deo de hac auguſtiſſimâ gratiâ, noſtráque dignitate iudicium iungamus, & quod eſt tanti apud illum, ne ſit nobis quam dæmoni vilius, hæreamus huic vitæ noſtræ radici bonorum omnium feraci, & tam cara fœtæ irrigatione, fructúſque illius autori reddamus. Num ferant ciues ignarum aulicum, & ingratum qui acceptam à rege prouinciam, ſæuo emptam ſudore, ſumptu, & ſanguine, velut ſyluam inutilem teneat? nec beneficium agnoſcat nec vlla ex parte referat? Sed quantò nos indignantius cœlum patiatur, redemptoris noſtri beneficentiæ infinitæ, aſſidua inertis animi & ingrati obſtinatione reſpondere?

3.part. diſp.4.5. 12. & l. 7. de gratia c. 5.

3. Licet autem iis qui Chriſti ſæculum præceſſerunt niſi Chriſti munere non data ſit gratia; ſed erat vincta quodammodo, neque explicare ſuas vires liberè poterat. Itaque homines conditione ſeruili minimè abſoluebat, nec dignos reddebat familiaritate illa mirabili, quam ſic nobis confirmauit Chriſtus. *Omnia quæcunque audiui à patre meo, nota feci vobis*; deinde in poſſeſſionem patrimonij diuini filios paruulos non mittebat, vno illorum ad eam

titulo

titulo, ac iure contenta, cuius fructum in limbo opperiri diutius cogerentur. Tertio loco haud paulò pluribus, ac fortioribus abundamus, ad gratiam, virtutes, & præſtantiſſima gerenda præſidiis, quàm maiores noſtri ante Chriſtum; ac ſi æquè vera, vt pia eſt quorumdam ſcriptorum inuentio, & quicquid in nos gratiæ ſpargitur, ex ipſamet quæ Chriſto inhæret gratia eſt decerptum, vtpote infinitâ, hoc eſt, quanta vſquam eſſe poteſt; magnus, profectò eſt ſplendor gratiæ, qua ornamur ex Chriſti plenitudine refuſæ, præ illâ quam veteres etiam prophetæ, ac Patriarchæ habuerunt, ex diuina perſona minimè depromptam. Poſtremò, quàm grande præ illis noſtrum decus, ipſiſque Angelis honoratum, quod Dei filium, noſtrâ causâ homine indutum, pro nobis orantem, nobis viuentem, laborantem, expirantémque viderimus? Tibi, Optime, Maxime, Saluator, & noſtræ huius abiectiſſimæ naturæ, honeſtandæ, attollendæque Auctor! tibi, tuæque gratiæ acceptum ferimus, quod ipſi Angeli nos obſeruant; ah! ne ſimus ingrati tuæ bonitati, ne honori tanto indecores, ne inanes tam quæſtuoſæ ſummæ negotiatores, ne tui amore frigidiores Beatis mentibus, qui abs te, & de te plura & maiora melioráque recepimus, cum expectare pœnas æternas deberemus. O funeſtiſſimam rabiem, ſi obſtrictiores Deo Beatiſſimis Angelis nihilo ipſum proiectius, quàm inimiciſſimi dæmones offendamus.

V. Mairatium de Incarnat. diſp. 23.

DE

DE INÆSTIMABILI PRETIO DIVINÆ GRATIÆ

LIBER QVARTVS.

CAPVT I.

Homines Dei auxiliis, & S. Spiritus aſflatu dignos, beneficio gratiæ effici.

VENTVM eſt tandem ad excellentiam 1.
gratiæ ſingulari prouidentia contentam quâ nos diuina bonitas dignatur, in qua eſt maximè attendendum, quod illud à nobis opprobrium amputat gratia, quo nos & conditio naturæ, & peccati labes fœdiſſima inurit, dum indignos facit Dei auxilio ad piè viuendum perneceſſario; eſt enim hoc noſtræ imbecillitatis, vt rationis capax & liber animus notitiam boni nonnullam habeat, cuius ductu poſſit laudabile quidpiam agere, vt verò ipsâ re conſtanter id præſtet, vel ſupra naturam poſſit euadere; diuina luce, ignéque opus eſt, ſanctâ nimirũ cogitatione, ac impulſu ex merâ

Dei

Dei miſericordiâ profectis, quæ ſi abſint iacemus ſine motu, ac ſenſu, quanquam arbitrij facultate & intelligentiâ inſtructi. Iam ſi huic naturæ tam per ſe fragili, & depreſſæ accedat contracta ex Adamo labes, Deo vehemētiſſimè inuiſa, non omni tantum cæli ope nuda, ſed & prorſus indigna relinquitur, quin & fracta, & emortua, & ad quiduis agendum cogitandumve non minus inepta quàm ſtipes ad volandum; *non enim ſufficientes ſumus cogitare aliquid ex nobis tanquam ex nobis, ſed omnis ſufficientia noſtra ex Deo eſt, nec poteſt quis dicere Dominus IESVS niſi in Spiritu ſancto*, hoc eſt præſenti eius auxilio, *nec eſt in poteſtate hominis via eius*, ſed illius qui ait, *ſine me nihil poteſtis facere*; Quam abiectionis noſtræ infamiam, diuina gratia remouens, eius auxilij capaces, imò creditores nos efficit, vt quibus id iure, capitis noſtri Chriſti Iesv merita pepererunt. Hæc verò auxilia, quæ idcircò actualia vocantur, quod neceſſariis adſint, opportuniſque rerum articulis neque perpetuò nobiſcum hæreant, quàm eſſe nobis cara, ſacráque oporteat, docet ingens earum neceſſitas, docet pretium, quo comparata ſunt, docet illorum ſeueriſſima ratio ex nobis repetenda.

2. Ac neceſſitatis huius grauitatem, niſi cæci ſumus & ſaxei, ex dictis vidimus, ex nobis ſentimus: Infirmi, enerues manibus ac pedibus trunci, vno mendacio, morte, ac miſeriis diuites, & deſperatiſſimæ ſalutis, cum vnam quæ opitulari nobis valebat, Dei clementiam,

facit

Digitized by Google

facit noſtra malignitas à nobis alienam : his vulneribus noſtris, periculis & cladibus, vnum reſtat ab Chriſti ſanguine remedium ; inde naſcatur neceſſe eſt ſi quid nobis probæ cogitationis, ſi quid pij motus inciderit. Nam quod Chriſtianis potius ortus, educatúſque parentibus, quam in mediâ Turcarum barbarie, quod iis ad Chriſtum adminiculis es perductus, quæ vitâ vel morte alienâ, paupertate, vel commodis, volubilitate, aut firmitate nitebantur, quis tandem prouidit, diſpenſauit, peregit, præter diuinam miſericordiam præuertentem aptis occaſionibus, & extra proſpectum, nedum extra tuam induſtriam poſitis vitæ tuæ aditus, ingreſſus, & deflexus? ex te culpa defectus, perditio tua; ex Deo tantummodò proba illa quæ te pupugit ratio, imago, recordatio & affectus; ex Deo tantummodo inſtinctus illius, docilis, morigeráque admiſſio, demùm ex Deo tantummodò ſalus tua. O noſtrum, ſi hoc agnoſcere volumus, tametſi trepidum ſed vtile nihilum! Exitioſum; ſi nolumus, & arundineo baculo debilitatis noſtræ fallacis, ac ſuperbæ confidimus. Quàm ob rem toties Dei lumen, Dei viam, Dei voluntatem, & ſapientiam ſancti petunt, quâ Duce, & comite laborent, noríntque quid acceptum ſit coram eo omni tempore : ob hoc etiam iidem ſacrarum aurâ inſpirationum, dum fauet, vtuntur, gnari maximè famelicos, & egentes otioſam ſtipem in perâ non condere : ac medio in mari naufragum, vel ſtrictum, ſi porrigitur, enſem, nudâ manu inuadere, tu ad porrectam opem Concil. Arauſic. Can. 22.

diuinæ inſpirationis, qua mortis nunquam deſituræ diſcrimen exeas, & vita fruaris immortali, cunctaris, langues, & procraſtinaris? in hac tamen rei tuæ ſumma ſalúſque vertitur; hanc auidè occupa, huic obſequere, hanc vel tuo ſanguine aſſere, cum ſuomet Chriſtus emi eam carò non putarit.

Eſtque hic alter eius æſtimandæ titulus, neceſſitate iam dicta grauior; nam illæ quas negligis abſentes, immiſſas oſcitanter audis, diſſimulas vrgentes, & excutis, ſanctas animi cogitationes & impulſus, conſtare minori pretio quam Chriſti vita & morte nequiuerunt, & quicquid eſt hominum atque Angelorum eiuſmodi minimum ſancti Spiritus influxum promereri nobis non potuit, licet mille cruces, milléque inferos paterentur. Quare exilis hæc ſalutaris ſuſurri vena, hoc quod tibi ſuggeri vix aduertis, aut vitæ monitum corrigendæ, aut perficiendæ conſilium, ſanguinis Chriſti præmium eſt ac merces, quam abſque tanti neglectu ſanguinis non potes negligere. Adde tertio loco Dei acerbiſſimam offenſionem, quæ hunc ipſius bonitatis contemptum conſequitur: huius veſtigia ſunt probroſæ illæ, Rom. 1. quibus ſapientes veteres permiſit pœnæ quòd Hilar. vſi oblatâ Dei notitiâ non eſſent; quibus iners Damaſc. talenti defoſſor affectus eſt; quibus Virgines ſtultæ, quæ Sanctarum oleo actionum diuinæ lampades illuſtrationis ſuâ ſocordiâ fraudarunt; quibus demùm perſæpe inopinato exitu feriuntur, qui dona Dei vel rebelles lumini reiecerunt, vel ingrati ſpreuerunt, vel inania omiſerunt;

omiſerunt; ſit enim vt iis cum maximè egerent, tunc deſtituantur, & patri optimo vocanti, manum protendenti, ſuadenti, toties ſurdi, toties cæci, toties refractarij, ipſo interitu videantur, & amaro ſarcaſmo ſaucientur: Quis ad has miſericordiæ ſupremæ non concidat & tabeſcat minas, quæ ſui quodammodo oblita ſempiternum quoque illorum exitium ioco ſibi futurum aſſerit, qui ſua conſilia deſpexerint, ego in interitu veſtro videbo, & ſubſanabo vos. Prou.1.

3. Abſit ah! tantas, abſit bonitatis ſummæ diuitias ac miſericordiæ contemnamus, aut ſegni operâ reſpondeamus illius vocibus vtilitates noſtras, perfectionémque poſcentibus, ſed, hinc multo maior diuinæ nobis gratiæ cura ſit, quæ nos iis dignos vocibus efficit, ita vt etiam (quod viſuri mox ſumus) ſapientiſſimè Theologus moneat, ab hac gratia extorres non poſſe diù noxis lethalibus carere, vitiatæ naturæ prauitate in peiora quamprimùm ruente, niſi huius obiectu ſubſidij teneatur. *Quamuis ædificium noſtrum*, inquit magnus Leo, *ſine opere ſui non ſubſiſtat artificis, nec fabrica noſtra poſſit eſſe incolumis, ni ei protectio præfuerit conditoris, tamen quia rationabiles lapides ſumus, & viua materies, ſic nos autoris noſtri extruxit manus, vt cum opifice ſuo etiam is qui reparatur operetur.* Quare præclariſſime concludit. *Gratia igitur Dei obedientia, ſe humana non ſubtrahat, nec ab illo bono, ſine quo non poteſt bona eſſe deficiat*; reddat potius illi officiorum vicem, nec quidquam diligen- Auguſt. 1 2. q. 109. art 8. Hildeb. Cænom Ep.3.

tius deuitet, quàm vt ne ruſticam, aut malignam iis ſe præbeat; eſt enim, ait inſignis Præſul, *officioſiſſima hominibus gratia Dei, & velut in eorum iurata obſequium.*

CAPVT II.

Non poſſe hominem gratia deſtitutum, ſine lethali noxa diu agere.

1. INter gratiæ laudes facit hanc ſumma neceſſitas ſummè venerandam, ac licet obiter mox indicata ſit, paulò attentius ſpectandam. Potuit hominis natura, ſi, vt erat à Deo condita, ſtetiſſet, communibus freta auxiliis labem omnem peccati deuitare; poſt amiſſam verò integritatem illam, niſi gratiæ diuinæ habitu armetur, expers mortiferi criminis diù

1.2. q. 109. art. 8. & 9. eſſe non valet: cauſam profert Theologus contumaciam rationis ægrè Deo ſubiectæ, ex qua conſequitur vt ab Deo, & recto ſæpius declinet præoccupatis cupiditatibus in tranſuerſum abrepta, & contracto diuinis præceptis oppoſito habitu, quæ tametſi poſſent altiore rationis attentæ iudicio frangi, ſed huius attentionis præſentiam cum multa diuellant ac diſſipent, fieri non poteſt, vt vitioſæ ac in malum propenſæ voluntati obſcurata & debilis ratio diu reluctetur, niſi diuinæ antidoto gratiæ correcta retineatur in officio erga Deum, eo

eo ferè modo quo appetendi facultatem neceſſe eſt inſanis frequenter iactari motibus ex eo quòd malè ſubacta rationi parum obſequatur : confirmat hoc ipſum S.Gregorius, aítque peccatum quod pœnitentia non deletur ſuopte pondere in aliud trahere, de quâ ſcelerum catenâ crebris quotidie nexibus deorſum præcipiti Propheta. *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quaſi vinculum plauſtri peccatum.* Sed hanc ſiſtit ruinam gratia, & hac ruptâ catenâ in libertatem filiorum Dei homines vindicat, patris offenſam vbique timentium. Hom.11. in Ezech

2\. Cuius magnitudinem boni ſolus intelliget, cui mali quod peccato ineſt formidandi perſpecta fueri magnitudo, atque deformitas. Tam diſtat à malignitate culpæ ſupplicij malum, vt hoc infinitis licet exaggeretur pœnis, nunquam ſit ad vllam culpæ malitiam peruenturum: æquitatis pars eſt ſupplicium, quæ cum ſit optima malum eſſe non poteſt; à Deo repetitur atque infligitur qui velle niſi bonum nequit, & eſſe omnino bonum, liquet, quo malum Deus vlciſcitur; vnde manifeſtum eſt confici, ſua homini ſi eſſet explorata æterna damnatio, committendum tamen nullo pacto fore, vt ſe nouo crimine obligaret; Imò ſi iam inferis addicto promitteretur libertas & ſalus ea lege vt culpam lethalem admitteret, repudiandam fore conditionem execrandam, eligendâmque potius ſempiternam pœnam, quam momenti vnius culpam; eſt enim culpa malum ingens per ſeſe, Deo infenſum, atque

 inimicum,

Digitized by Google

inimicum, ac in ipſius iniuriam & contumeliam perniciémque, ſi poſſit, coniuratum. Iam quæro ex iis qui bibunt iniquitatem ſicut aquam; qui ſuarum conſcij ſordium inde ſordeſcunt procliuius; licentiúſque poſt alterum, & tertium lapſum, in quartum & vlterius prorumpunt, rati per ſaturam omnia tandem confeſſione abluenda, nec futurum laborioſius decem quàm tria indicare; Quæro, inquam, ex iis, an tribus dæmonibus ad carnificinam traditi, quintum, & decimum, & plures expetituri ſint tortores? O immaniſſimam in ſeipſos inſanorum hominum rabiem! deterius eſt quod vnum addis patratis peccatum, quam quantum horrendo inferorum armamentario in reos maieſtatis homines ac dæmones cuditur, occupatúrque tormentorum, eſtque hæc ingens amentia crimen amare, & pœnam vereri, cum malitiæ immenſo diſcrimine pœnam quamuis, culpa etiam tenuis ſuperet. Verùm ipſa in pœna cur tam cæci ſumus, & ſenſu caſſi? Quis tandem carnifici ad candentem forcipem addictus, petat laminas ardentes, & crurifragum adiungi? Quis veneno ictus, captet nouas quas admoueat viperas? Heu! peccatis peccata nectimus, & quod neceſſariò ſequitur, pœnas pœnis, haud quidem quales hic videmus & legimus, ſed longè terribiliores, cum ſcribat S. Cyrillus vita functos, ob leuia etiam quæ peccarint, ſempiternis tradendos ignibus, non tamen ſemper iis detinendos. Eſto ſanè non ſemper, ſed diù, ac multo quam putemus, diutius, atque acerbius.

l. 10. in Ioan. c. 14.

bius. Quod ſi de noxis exilibus verum eſt, quæ tanquam paleæ facilius abſumuntur, quid de ſuppliciis criminum etiam remiſſorum quibus excoquendis velut pertinacibus metallis, ignis ille vltor maiore conatu ſæuit, & incumbit. At ſi nos parum tam perperam potens noſtri amor hic mouet, moueat reuerentia Saluatoris: Ponatur denique iniuriæ modus, & ſemel ſatis ſit, aut ſaltem toties illum prodidiſſe, ſatis in crucem toties egiſſe, ſat eius ſanguinem toties polluiſſe. Quis antropophagus ad hoſtis cadauer pridē ab ſe cōfecti furioſiùs recurrit, iterúmque ac ſæpius transfigit? Quis examīnat guttas reſidui ſanguinis, ne reſiduæ ſint? Quis inflicta iam membris vulnera cruciat? Quid hoc irarum; quæ feritas & rabies hominum? Emendum nobis vita omni, cunctíſque ſuppliciis fuerat, vt optimi Iesv, ac ſuauiſſimi, cruciatus, vel minima, atque leuiſſima pulſatione, ſi fieri potuiſſet, minores fierent; Emimus heu! animæ noſtræ vita & cæleſtis hæreditatis detrimento, vt iidem repetantur, & crebrò recrudeſcant: ſæuitum ſatis, ſufficiat hactenus, inhibe ſceleſte! ab colaphis parricidam manum, à proculcatione Chriſti, pedem ſacrilegum; à perfidia mentem, tot amandi, timendi, fidelitatis ſeruandæ cauſis tamdiù rebellem.

Promittit hinc Deus felicitatem perpetuam, 3.
ac certam; æquè certa minatur, perpetuáque ſupplicia; reſerat peccati vaſtum cahos & irremeabile profundum, vt abſiſtas procul; pericula explicat, ne iis inuoluaris; beneficia, vt

emolliaris

emolliaris; filij ſui mortem vitæ tuæ ſalutíque impenſam, vt nefas cenſeas poſſe alteri, quam ipſi viuere. Promittit hinc dæmon, imò obiicit tantùm momentum fugax peſſimæ voluptatis, inferorum tormentis obnoxium; & vincit, proh ſcelus! & abs te iniquiſſimam, & amentiſſimam quam poſcebat aduerſus Deum ſententiam, téque ipſum tibi; cum ſpe totâ ſalutis abs te aufert, ſibíque mancipat. Obſtupeſcite cœli ſuper hoc; cui poteſt iam eſſe ambiguum, quamobrem peccati momentum luatur pœnis nunquam deſituris? in promptu eſt quod pluſquam abundè ſatisfaciat. Iuſtiſſimè fieri, cum cedat peccans araneorum telis ſibi ab dæmone obtentis, & vltrò ſeruiat; beneficiorum innumeris vinculis & adamantino carcere conſtantiſſimæ largitatis, quo vndequaque ab Deo vallatur, teneri nolit, ſed rumpat vincula & dicat, non ſeruiam. Hoc malo omnium ſupremo nos liberat gratia, liberatíſque robur attribuit, ne peius iterum labamur; facit enim maior Dei contemptio, ingratíque animi notæ peior, & concretæ malitiæ tenacior habitus, ſecundos lapſus, & tertios ſceleſtiores prioribus, minúſque ſanabiles?

CAPVT

CAPVT III.

Quantùm inter hominem interſit etiam eumdem gratiâ præditum & eâ priuatum.

OCcurrit ſtatim ſapienti tam verum quàm breue reſponſum, tantum intereſſe, quantum inter hominem & belluam, intérque Angelum & cacodæmonem: verè ſi quidem B.Chryſoſtomus, hominem abſque gratiâ fe-ram eſſe exlegem, rationis expertem, in exitium ſuum præcipitem, cum gratiâ verò, normam rationis, æquitatis ac moderationis ſpeculum, & demum homine maiorem. Quàm diſſimilis Saüli Saül gratiâ munitus, ab gratiâ profugo? Tunc enim fuit tã modeſtus, vt regnũ latebris deuitaret; tã patiens, vt diſſimularet perduelle in ſe iam regem conuitium; tam verecũdus, & arcani tenax, vt patrem & fratres de ſuâ in regnũ inauguratione celaret; tam probè moratus, vt homo id ætatis, & liberorum pater, iuſſu patris aſinas errantes quæreret; tam ingenuus & candidus, vt regni primordio vnius anni puer celebretur. At verò quæ rabies, amiſsâ gratiâ, l bacchantis? Non tulit eius ſuperba inuidia audem alienam, etſi iuſtiſſimam; non ſucceſſoris mentionẽ refractaria Deo ambitio; non ira & odium inſontem eius vitã à quo ipſe vitam acceperat; non intractabilis animus Dei iuſſa; non erroris confeſſionem mendax iactantia. Mitto interrogatũ nefariè tripodem,

 ſacrilegia

ſacrilegia, cædes, periuria, furorem, quibus dæmoni fuit quàm arreptitio, cùm ante Angelo, quàm homini fuiſſet ſimilior. Dauide autem quid manſuetius, mitius, tolerantius, religioſius, gratiâ præſente? Quid eodem proiecta, truculentius atque crudelius? in magnanimum ducem ac fideliſſimum Vriam, & euerſæ Rabbæ calamitoſos ciues etiam innocentes, teneram ætatem, ſexúmque imbellem; cæteróſque quos expugnauit Ammonitas, ſerrâ, ignibus lentis, ferratis carpentis ſectos, vſtulatos, obtritos? Vbi nunc illa Dauidis bonitas, & manſuetudo in Saülem, Semeium, & alios? Fugiente gratiâ ſimul euanuit, & inhumanitati loco ceſſit. Quid huius filius Salomon, ex Dei religioſiſſimo cultore in mulieroſum falſorum Deorum receptorem; ex ſapientiſſimo, vt breuiter dicam, regum, & hominum, cæleſti defectus gratia in ſtultiſſimum & amentiſſimum euaſit. Iudæ tandem ſtupendâ cataſtrophe poteſt magis horrenda cogitari? Gratia fultus omnia abiecit, inſtárque luti, ac pulueris habuit, vt ſe Chriſto adiungens Chriſtum ſibi lucrifaceret: gratia orbatus eumdem non exhorruit vendere, vt paucis nummulis frueretur, & confeſtim ex Dei Apoſtolo in Luciferum tranſiit: Qualem legimus Paulum gratia carentem? effrenem, homicidam, blaſphemum: Petrum qualem? tantiſper dum ab ea ſeceſſit, infidum, mendacem, periurum, abyſſo abyſſum inuocante.

2. Sed hoc diſcrimen ſcriptor iuxta perſpicaciſſimus, & ſubtilitate ac ſanctitate clariſſimus, expreſſit

expreſſit diſtinctiùs in iis in quibus pronum eſt nos ſæpè non inuitos falli, & vitioſæ dolos ac motus naturæ pro gratiâ ſequi, niſi in vtroſque acutam aciem intendamus: nam ait eſſe admodum diuerſos, valdéque pugnantes, eóque demum omnia reduci, vt vafra & callida natura ſeipſam ſemper pro fine habeat, & ad ſuam vtilitatem, commoda, dignitatem & corpus non hæc modò infima, ſed diuina; prorſúſque omnia, ſurſum, deorſum, obliqua, recta poſtremò referat, nuſquam Deo gratis & caſtè inſeruiens, ſed ſua vndique & vbique captans, & odorans lucra. Gratia præter Deum nihil cupiens, aut admittens, ad eum inflectat, trahat, & rapiat vniuerſa, illum in omnibus vnum quærat: in illo, calcatis omnibus ſublimis, & triumphans quieſcat: Hanc autem ſupernaturale lumen eſſe, peculiare Dei donum, ſalutis pignus & electorum characterem, cuius vnum agnoſcens munificentiſſimum largitorẽ Deum, his illam precibus dum ab eo ardenter flagitat, noſtros ad eamdem ritè poſcendam ambitus, deſideria, & voces fingit.

Tho. de Kemp. de imit. Chriſt. lib. 3. c. 54.

3. Domine Deus, ſancte pater, ſis nunc & in æternum benedictus, quia ſicut vis factum eſt, & quod facis bonum eſt. Lætetur in te ſeruus tuus, non in ſe, nec in aliquo alio; quia tu ſolus lætitia vera; tu ſpes mea & corona mea; tu gaudium meum, & honor meus: Domine. Quid habet ſeruus tuus, niſi quod à te accepit, etiam ſine merito ſuo? Tua ſunt omnia quæ dediſti, & quæ feciſti: pauper ſum & in laboribus à iuuentute mea: & contriſta-

Digitized by Google

tur anima mea nonnunquam vſque ad lacrymas, quandoque etiam conturbatur à ſe propter imminentes paſſiones. Deſidero pacis gaudium, pacem filiorum tuorum flagito, qui in lumine conſolationis à te paſcuntur. Si das pacem, ſi gaudium ſanctum infundis, erit anima ſerui tui plena modulatione, & deuota in laude tua: Sed ſi te ſubtraxeris, ſicut ſæpiſſimè ſoles, non poterit currere viam mandatorum tuorum, ſed magis ad tundendum pectus genua incuruantur, quia non eſt ſicut heri, & nudius tertius, quando ſplendebat lucerna tua ſuper caput eius, & ſub vmbra alarum tuarum protegebatur à tentationibus irruentibus. Pater iuſte & ſemper laudande, venit hora, vt probetur ſeruus tuus. Pater amande, dignum eſt, vt hora hac patiatur pro te aliquid ſeruus tuus. Pater perpetuò venerande, venit hora quam ab æterno præſciebas affuturam vt ad modicum tempus ſuccumbat foris ſeruus tuus. Viuat verò ſemper apud te intus; paululum vilipendatur, humilietur, & deficiat coram hominibus, paſſionibus conteratur, & languoribus, vt iterum tecum in aurora nouæ lucis reſurgat, & in cæleſtibus clarificetur. Pater ſancte, tu ſic ordinaſti, & ſic voluiſti, & hoc factum eſt, quod ipſe præcepiſti. Hæc eſt enim gratia ad amicum tuum, pati & tribulari in mundo pro amore tuo, quotieſcunque, à quocunque, & quomodocunque id permiſeris fieri. Sine conſilio & prouidentia tua, & ſine causâ nihil fit in terra. Bonum mihi Domine quod humiliaſti me, vt diſcam iuſtificationes

tuas,

tuas, & omnes elationes cordis, atque præſumptiones adiiciam: Vtile mihi, quod confuſio cooperuit faciem meam, vt te potiùs quàm homines ad conſolandum requiram; didici etiam ex hoc inſcrutabile iudicium tuum expaueſcere, qui affligis iuſtum cum impio, ſed non ſine æquitate & iuſtitia. Gratias ago tibi quia non pepercisti malis meis, ſed attriuiſti me verberibus amaris, infligens dolores, & immittens anguſtias foris, & intus. Non eſt qui me conſoletur ex omnibus qui ſub cælo ſunt, niſi tu Domine Deus meus, cæleſtis medicus animarum, qui percutis & ſanas, deducis ad inferos, & reducis. Diſciplina tua ſuper me, & virga tua ipſa me docebit. Ecce Pater dilecte, in manibus tuis ego ſum, ſub virga correctionis tuæ me inclino, percute dorſum meum & collum meum, vt incuruem ad voluntatem tuam tortuoſitatem meam: fac me pium & humilem diſcipulum, ſicut benefacere conſueuiſti, vt ambulem ad omnem nutum tuum. Tibi me & omnia mea ad corrigendum commendo; melius eſt hic corripi, quam in futuro. Tu ſcis omnia & ſingula, & nil te latet in humana conſcientia: antequam fiant, noſti ventura, & non opus eſt tibi, vt quis te doceat, aut admoneat de his quæ geruntur in terra. Tu ſcis, quid expedit ad profectum meũ, & quantum deſeruit tribulatio ad rubiginem vitiorum purgandam. Fac mecum deſideratum beneplacitum tuum, & ne deſpicias peccatricem vitam meam, nulli meliùs, nec clariùs, quàm tibi ſoli notam. Da mihi Domine ſcire,

Digitized by Google

quod ſciendum eſt; hoc amare quod amandum eſt; hoc laudare quod tibi ſumme placet; hoc reputare, quod tibi pretioſum apparet; hoc vituperare quod oculis tuis ſordeſcit: Non me ſinas ſecundum viſionem oculorum exteriorum iudicare, méque ſecundum auditum aurium hominum imperitorum ſententiare, ſed in iudicio vero de viſibilibus, & ſpiritualibus diſcernere, atque ſuper omnia voluntatem beneplaciti tui ſemper inquirere. Falluntur ſæpe hominum ſenſus in iudicando, falluntur & amatores ſæculi viſibilia tantummodò amando. Quid eſt homo inde melior, quia reputatur ab homine maior; fallax, fallacem; vanus, vanum, cæcus, cæcum, infirmus infirmum decipit, dum exaltat, & veraciter magis confundit, dum inaniter laudat: Nam quantum vnuſquiſque eſt in oculis tuis, tantum eſt & non amplius, ait humilis Sanctus Franciſcus.

CAPVT IV.

De fortitudine admirandâ, quâ naturæ noſtræ infirmitatem gratia Chriſti corroborat.

2. VEnite, & videte opera Domini, quæ poſuit prodigia ſuper terram, nimirum (interprete Caſſiano), ex rapaciſſimo liberalem; ex prodigo continentem; ex ſuperbo humilem;

lem ; ex delicato ac tenero ſqualidum, hirtúmque & egeſtate, atque anguſtia præſentium rerum, etiam voluntarie perfruentem ; iſta ſunt profectò mira opera Dei, hæc verè prodigia ſub momento breuiſſimo ex publicanis Apoſtolos fieri ; ex perſecutoribus truculentis Euangelij prædicatores patientiſſimos. Iſta ſunt opera Dei, quæ ſe quotidie vnâ cum Patre operari filius proteſtatur. Quis non miretur virtutem diuinæ gratiæ, cùm inſatiabilem ventris ingluuiem, & ſumptuoſam gulæ, perniciosámque luxuriem ita in ſe viderit compreſſam, vt vix ipſum exiguum, ac viliſſimum cibum raro, inuitúſque percipiat ? cùm illum ignem libidinis quem naturalem antea, & velut inextinguibilem eſſe credebat, ita reſtinguiſſe perſenſerit, vt ne ſimplici quidem motu ſe ſentiat incitari ? cùm diros homines blandiſſimis quoque ſubditorum obſequiis ſolitos ad iracundiam proritari, eo tranſiſſe lenitatis, vt illatis iniuriis gaudeant ? hæc ferè Caſſianus cui non abſimilia S.Bernardus, nulla re verbi omnipotentiam reddi clariorem, quam quod omnipotentes facit qui in ſe ſperant ; gratiæ videlicet robore, cum qua omnia poteſt Apoſtolus ; ita innixum verbo, & virtute indutum ex alto, nulla vis, nulla fraus, nulla eum illicebra poterit vel ſtantem deiicere, vel ſubiicere dominantem : vnde B.Chryſoſtomus murum inexpugnabilem appellat gratiam, eiúſque auxilio complanari nobis difficultates omnes,& onus quoduis tolerabile fieri ; quod innuere viſus eſt Rex Vates, cùm alacriter confidens;

Cap. 12. Col. 12.

Ser. 85. in Cant.

Hom. 46 in 21. Geneſ. Et hom. 54. in 29

ita gratia, & firmum ex iis vitæ propoſitum nectente, *Quàm ſuaue* inquit, *mihi ſubito factũ eſt carere ſuauitatibus nugarum, & quas amittere metus fuerat, iam dimittere gaudium erat; eiiciebas enim eas à me & intrabas pro eis omni voluptate dulcior.* Quod idem B. Cypr. ab ſe comprobatum luculentiſſimè teſtatur, intérque cætera, *Vt quamplurimis*, inquit, *vitæ prioris erroribus implicatus tenebar, quibus exui me poſſe non crederem; ita vitiis adhærentibus obſecundans eram, & deſperatione meliorum malis meis veluti vernaculis iam ac propriis fauebam; ſed poſtquã vnda genitalis auxilio ſuperioris æui labe deterſa, in expiatum pectus ac purum deſuper ſe lumen infudit; poſtquam cœlitus Spiritu hauſto, in nouum me hominem natiuitas ſecunda reparauit; mirum in modum protinus confirmare ſe dubia, patere clauſa, lucere tenebroſa, facilitatem dare quod prius difficile videbatur*; & quæ proſequitur fuſiùs in commendationem gratiæ præpotentis; Itémque Gregorius Magnus in illud Saüli promiſſum. *Inſiliet in te Spiritus Domini, & mutaberis in virum alterum.* Quod quotidie fieri oſtendit, dum quæ nobis horrori fuerant, amore Dei ac virtutis iucunda euadunt & dulcia; quæ autem in votis, & deliciis erant, deteſtabilia, & abominanda; eſtque hæc mutatio dexteræ Excelſi, cuius munere Chriſtianum gratia munitum; ſcripſit Gerſon omnium potentem eſſe.

Lib. 2. Epiſt. 2.

l. 4. c. 4. in reg.

Quod non vſquequaque admirandum forſitan apparet cogitanti hoc robur gratiæ videri 32

Digitized by Google

magnopere conſentaneum naturæ cum ad profliganda vitia rationi rectæ inimica, ſtatuendáſque virtutes eidem cognatas totum pertineat. Verum enim vero quod tantos ſpiritus ac vires ſuggerat ad prenſandam fortiter, & alacriter exhauriendam crudelitatis impiæ totam barbariem cruciatibus diris & lentis mortibus graſſantem, vt hæc etiam pueris, ac propè infantibus dulceſcant, & Pelagij, Barulæ, Iuſti, Paſtores, Agnetes, Eulaliæ, aliíque abſque numero de Tyrannis & inferis meditatáque illorũ in torquendo trucidandóque induſtriâ, & furore læti triumphent, quis neget eſſe admirabilitatis non modò ſummæ, ſed ſtuporis atque miraculi? Quid de Anachoretis & cœleſtibus illis rupium incolis, quos Dei ac virtutis ſuauitas fecit voluntarios ſuorum corporum, & cupiditatum carnifices & triumphatores? Vnde Barſanuphio (nullum præterea de tot millibus nominabo) tantum pectus, vt annos quinquaginta in anguſto cauo, clam cunctis mortalibus, nullo cibo, nullo vitæ humanæ ſubſidio viueret, niſi ex potentiſſimo gratiæ commeatu? At ſi tantum in eo efficere valuit gratia vt homo naturæ mortalis, tanquam immortalis & Angelus viueret, non poterit ſcilicet id tibi præſtare, vt homo cum ſis hominem viuas, non belluam? cuncta, mihi crede, poterit, ipséque illius vim expertus profiteberis cum B. Paulo, omnia poſſum in eo qui me confortat, corpus nimirum inſolens domare; coërcere perturbationes; cupiditates frangere; indicere malè aſſuetis æterna exilia; reſecare af-
fectus

fectus & neceſſitudines vitioſas, cum ipſis, ſi vſus eſt, etiam vitalibus, teipſum abiicere, omnibúſque calcandum præbere, mori denique pro Chriſto, & diu mori, atque hæc conſtanter, iucundè, hilariter, cum nihil ſit amanti difficile, hoc eſt, omnino, gratia potienti; hac verò cum primum deficimur, quid ſumus quàm flocci, quàm nihili, quàm nihilo peiores? cum deterius ſit malum eſſe quam prorſus non eſſe, ac ſit debilior ad recuperandam gratiam peccator, quàm ad obtinendum, vt exiſtat in rebus nihilum. O vim glorioſam! ô beneficium! ô prodigium gratiæ! hanc ſemiquaſſam arundinem, hanc plumam, hanc bullam, hoc dicam ſomnium & nihilum, in columnam ferream & murum æreum firmantis, quibuſuis hoſtium machinis fortiorem.

CAPVT V.

Quid diſtent Dei & hominum gratia.

QVanquam eſt tam nota inter Dei, & hominum gratiam longinquitas, vt vtramque conferre pudeat, facit tamen ſtultitia plurimorum, ne concedendum ſit huic pudori, cum hoc diſcrimen ſic parum aduertant, vt humanæ diuinam plerumque poſtponant, & quidem gratiæ compotem, licet aduerſis premátur innumeris, ait S. Chryſoſtomus, nec 1.

 territum

territum iri ab vllo mortalium, aut dæmonum, peccanti verò fore omnia terrori, quamuis ſecurè agere videatur; nihil eſſe in humanis amicitiis tutum, & ſtabile, nec modò amicos cum amicis, ſed patris cum filiis, cum Patribus filios peiora quàm cum inimicis odia exercere: Dauidem inueniſſe gratiam apud Deum; apud homines Abſalonem, quo verò vterque exitu, latere neminem: Abrahamus item & Pharao, Hebræi & Ægyptij, quàm toto cælo diuerſos euentus gratiæ Dei & gratiæ hominum ſint experti; vnde iubet colligi vir Sanctus, præuerti quorumuis hominum beneuolentiæ, & amicitiis, diuinæ ambitum gratiæ oportere. Sic fore, vt Dei gratiam etiam hominum beneuolentia ſequatur. Alioqui amicitias Principum qui pro ſcopo ac Deo adorant, cuiuſmodi ſtatim ab iis fingantur, documento eſt Aman intimus Aſſuero, centum viginti ſeptem prouinciarum Regi, ſuperbus, crudelis, inuidioſus, perfidus, honores extraordinarios ac nouos tanta impotentia exigens, vt nec fidei erga regem, nec multorum millium ſanguini, nec ſuo demum ſupremo periculo parceret, adeò væcordem, Principis gratia incantarat, & de homine teterrimum animal fecerat. Mardochæum è contrario, quâ valebat apud Deum & Dominum gratia, captiuum licet, mentis excelſitate liberum ſeruauit, ſed modeſtum, miſericordem, pium, orphanorum, popularium & innocentium peramantem, contemptorem nobilitatis ingenitæ, fortem, precationi & ieiuniis deditum, in perficiendis

perficiendis arduis mirè induſtrium, mirè Regi fidelem, at fideliorem Deo & religioni, cuius cauſam tueri capite maluit, quàm magnis ſpebus omittere; rationibus denique priuatis adeo exutum vt propinquitate Reginæ gratioſiſſimæ ad leuandam humilem fortunam ne verbo quidem vti voluerit: Ac ſunt iſti partus diuinæ gratiæ; humanæ verò quicquid vitiorum ex animo ſui, Deíque oblito germinat tanquam virulentorum graminum ex pingui ſed inculto, deſerto & damnato ſerpentibus, & aſpidibus ſolo: rebus enim ſecundis, honoribus, copia, occupationibus, adulatione, potentiâ, ſui ipſius factum immemorem, inuadit ambitio, auaritia, inuidia, peſtes reliquæ perturbationum vtcumque hactenus ſe inhibentium tunc ſimul inuolant, ac miſere laniant; voces interea vix interdum paucas, & dimidiatas mutiente penè ſepultâ negotiis, & vitiorum tenebris ratione. Si vt fingunt Reges hominum fortunam poſſent ad præclaram eius fortunæ moderationem, eâdem operâ & mentem fingere pulchrè cum ipſis, pulchrè cum Aulicis ageretur: Verùm, eſt ſuperioris fori, iuriſque mens, atque ingenium, & poſſunt Aulæ ſectatores ab regibus diuites fieri, meliores non poſſunt, nec ingenio, viribus, naturâ emendatiores: Tui verò cæleſtis ac longè pretioſiſſima gratia, tui iuris eſt interius animi conclaue, velum, Imperiumque voluntatis; tu animum expias, ſolaris, corroboras, exornas, totámque in illum Dei, hominum beneuolentiam, totum cælum inducis, dum Aman ſcele-

ſtus, Dei & hominum odium cum liberis decem in patibulo putreſcit, eiúſque domus in prædam hoſtibus, quorum ipſe maximus fuerat, traditur, & dilapidatur.

2. Mitto Sejanos, Plautianos, Eutropios, Rufinos, Stilicones, & quos recentiora ſæcula, velut feras in arena ſpectarunt, quos aliquamdiu fortuna inſolens pectori appreſſit, vt miſerorum ſpoliis ſaginatos lautiori tandem voluptate degluberet. Magna lis eſt hominum gratiæ cum virtute, cuius metu ſapiens Patriarcha, inſperatum de filij ſui valetudine ac regno nuntium diluebat, veritus, inquit Philo, ne amicitia, & fauore ab auita lege, inſtitutíſque deflexiſſet. Quare putat S. Chryſoſtomus idcirco Chriſtum voluiſſe in Iudææ aula mortem oppetere qualis nulli vnquam vel miſero, vel facinoroſo contigerat, vt aulæ, fauoríſque humani ſuis diſcipulis altè horrorem insereret, cuius non ſic dulce venenum fructus diſſimulant, quin ſe ethnicis ipſis peſtis illius prodiderit. Vt poſſis, inquit Galenus, de curandis animi morbis agens, ferre de homine virtutis vulgatæ iudicium, hoc primum eius experimentum cape; nam ſi ad celſas fores, & procerum limina multum eſſe, ſi aulas terere videris, certò certius habeto veracem non eſſe, cum iis officiis ſoleat mendacium comitari. Ad hæc ſi hoc ſaltem cum hominum genere aulis aſſueto ſit familiaris, eorúmque menſas affectetur, ſcito hunc non modò fallacem, ſed omni vafritie ſubæratum, ambitioſum, auarum, honoris appetentem, aut eiuſmodi

l. de Ioſeph.

Digitized by Google

modi vitiorum inſigni aliqua maculâ inuſtum. Quem autem notaris procul ab diuitum, & aulicorum conſuetudine, gaudentem frugali domus ſuæ ac tranquilla quiete hunc demum veracem putato. Hæc ſapiens Ethnicus & valde Chriſtianè; difficillimum eſt vt Deo non ſæpè, multúmque diſpliceant, quorum princeps eſt votum hominibus placere: Verùm diſſipabit Dominus oſſa eorum qui hominibus placent, quàm iniquum improuidæ animæ, damnoſúmque commercium! ira vindicis Dei, hominum inanium beneuolentiam quæſiſſe, ac vt in illorum opinione ſis, & fama, à Deo contemni & abiici!

Supereſt nihilominus aliud vnde nobis hic 32
hominum fauor, niſi ſponte deſipimus, pro re maximè ſpernenda, & mirè futili palam conſtat: Nam quis non miretur Dauidem Saüli vſque adeò gratum, & familiarem, vt eſſet illius armiger, adſtaret illi ferè perpetuus, arreptitium lyra mulceret aſſiduè, ſibíque redderet; Saüli tamen breuiſſimo illo quo ab aula abfuit tempore, ita penitus excidiſſe, vt nec nomen, nec genus, nec conditionem meminiſſet, ſed proſtrati Gigantis inſigni facinore quaſi expergefactus interrogaret, cuias eſſet: hunc nempe beneficia, officia atque obſequia in hominibus collocata ſucceſſum nanciſcuntur, & huc eorum gratia deſinit plumâ & ſomnio leuior. Debebat vitam Aſſuerus fidei Mardochæi, cuius integritate ac robore coniuratorum gladios ab ſeſe depulerat. Quid huic tantæ virtuti præmij reddidit à qua regnum & vi-

tam

tam acceperat? diù ne quidem illius ſaltem memor ſic fuit, vt recordaretur eſſe in rebus Mardochæum. Tua verò Deus munificentiſſime, & optime Domine, in memoria æterna erit iuſtus, firmabis imò ſuper eum oculos tuos, nec ſolùm apud te obſoleſcere illius memoriam non feres, ſed nec vllo caſu abs tuo conſpectu amoueri, & de manu, ſinúque diſtrahi: quin nec iis apud te ſeruatam gratiam, illorum poſteris ſterilem eſſe patieris. Vos ergo poſt illa pergite famelici humanæ gratiæ, hoc eſt fumi ac periculorum captatores, & illam, ſi frons eſt, cum diuinæ beatitate, potentia, copia, æternitate comparate.

CAPVT VI.

Gratiam non eſſe tantum æternorum; ſed temporalium quoque bonorum fœcundam.

1. ADeſte vero iam cupidi, & quoſcunque auara fluxorum bonorum & inexpleta ſitis, ſupremos illorum æſtimatores facit: afferte animum quantumlibet vaſtum, oculos, vt lubet, inſatiabiles, explebit hos gurgites gratia, & plus dabit, quàm auaritia ſpondere, licet mentitur, poſſit: Nunquam ſic auari oculi ſtomachus impletur, vt non vlterius aliquid ſuſpiciat & poſcat; gratiæ nihil deeſt quod poſſit, & deceat optari; adſunt illi ac ſeruiunt caduca

in

in vſus ſempiternos, & qui eâ potitur in eâ poſſidet vniuerſa, ex quo aptè noſtro ingenio ac mortalitati ſuis rationibus addictæ, diuina ſapientia concludit. *Quærite ergo primùm regnum Dei & iuſtitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis.* Quam paruâ & facili, quàm multis aliàs titulis expetendâ, obſeruandáque lege nobiſcum de cæteris omnibus paciſcitur? cœlum quæramus & terra noſtra eſt, & noſtra ſunt omnia, Chriſti modo ac Dei conſtanter ſimus; ſancti, vt adiuuent; vita, vt Deo viuatur; mors, vt ad illum tranſeatur; præſentia vt nobis ad neceſſitatem, honeſtatémque ſint vſui; futura, nam iuris noſtri ſunt; mundus, quia nobis inferior, & noſtrâ cauſâ factus. O conditionem opimam, & longè dulciſſimam; Chriſti ſis, & ſis rerum omnium Dominus; nam deeſſe Deus Dominus, amicus, & pater famulo, amico, & filio nequit (ait S. Bonauentura) quales ſunt qui regnum Dei, & iuſtitiam eius imprimis quærunt, quorum antè quam eſſent & cùm hoſtes eſſent, bono tantopere ſtuduit: At ſi gratiam perdis, nihil iam tibi quod tuum ſit, reſtat, ne tu quidem, nam ſatanæ ſeruus & crudelitatis eius victima factus es: hanc ſuorum curam maternæ Deus in filium infantem ſollicitudini non modò comparat, ſed præfert, nam ſi quo naturæ portento eius obliuiſcatur mater, ſed *ego*, inquit, *non obliuiſcar tui*: Quin vt eadem velit nolit, quem geſtat fœtui, alimentum, naturæ ſponte, neceſſario ſuggerit. Sic ab ſe certiſſimam iubens prouidentiam ſperari, [*Audite me do-*

Luc. 12. Iſa. 49. Iſa. 46.

 mus

mus Iacob, inquit, *& omne reſiduum domus Iſraël, qui portamini ab vtero meo, qui geſtamini à vuluâ meâ, vſque ad ſenectam, ego ipſe, & vſque ad canos ego portabo, ego feci, & ego feram, ego portabo, & ſaluabo.* Abſcondit illos
Pſ. 26. in abſcondito tabernaculi ſui; petitiones illo-
Pſ. 30. rum feſtinatâ ope, doníſque anteuertit; tan-
Pſ. 62. git illius pupillam oculi, qui audet illos attingere; imò ipſis gratificari volens, eorum hoſpitibus & agnatis (qualis fuit Labanus) quanquam ſibi hoſtibus benedicit. Denique totæ ſunt diuinæ literæ in deprædicanda liberalitate, quâ inuigilat Deus, ne quid ſuis opportunum deſit.

2. Quâ nixos parentis optimi tam accurata ſollicitudine præcepit Chriſtus de neceſſariis ad vitam vacuo animo nos eſſe: nec timere, ne veſtem corpori, cibum vitæ neget, qui dedit ſpondétque potiora, & auiculas quoque inemptis dapibus excipit, fœnúmque clibano deſtinatum natura purpura conueſtit; paternam ſpectat prouidentiam hic labor; noſtra incerta & timida, inops & debilis, omni æſtu curarum capilli colorem non mutabit, ſtaturæ, aut victui, aut vitæ nihil addet: Vt ergo, quam nobis definiuit Deus menſurâ corpuſculi, ſic ſimus vitæ, victúſque modulo contenti, defixo in maiora in quæ ſumus euecti animo & in congruentes dignitati noſtræ cogitationes. Quàm rectè hic aut modicæ fidei, aut abiectæ de gratia opinionis arguamur? conditi ſumus ad æternitatem, eſtque iam illa per gratiam, quam Dei gratia tenemus iuris noſtri facta;
incubent

Digitized by Google

incubent ſanè caducis Ethnici, fleant ſteriles annos, turbentur incerto tempeſtatum, colant cœlum & pluuias meſſium genitrices, vt qui ſtabilius aliud non habent, quo ſpes ſuas mittant; nobis dantur ſubſidia hæc terrena in vſum æui breuis, ad ſupremi boni conſequendam perpetuitatem; quid tam anxiè viam, & diuerſoria, fraudulenta licet, atque incommoda, pro felici patria, amamus? committamus Deo, eiúſque charitati, nam pater eſt; ſcienti, ac potenti, nam Deus eſt, noſtram ſubſidij temporarij egeſtatem; Quæramus ante omnia regnum Dei, & iuſtitiam eius, hoc eſt, gratiam bonorum conciliatricem etiam caducorum, & id qualecunque ſubſidium nobis adiiciet, attemperabítque deſideriis, & adeptioni æternorum.

Præter verò iam dicta, quàm id humile eſt 3.
ac demiſſum, regno auctum, eóque cœleſti hominem in puerilibus aut ſordidis curis, & artibus totum eſſe? *Poſt tantam Dominus largitatem, poſt ſuam gratiam tibi copioſius collatam, abiecta & vilia peculia ſeruitutis iubet abiicere, regnaturum. Vendite quæ poſſidetis, & date eleemoſynam; plebeium cultum regia non admittit poteſtas; auguſtus honor non niſi diademate confertur & purpura, abiicere ergo debet habitum ſeruitutis qui ſe regem credit diuinitus conſecratum. Hinc eſt quod Rex ille ſupremus, illum, qui cum indignâ veſte, maieſtatis eius auſus eſt intrare conuiuium, ligari, præcipitari, detrudi iuſſit in tenebras exteriores, quia deformitas inuitati ad inuitantis redundat iniu-*

P. Chryſ. ſer 25.

 riam

riam; peculia quoque priſtinæ ſeruitutis, iam diuitiis, iam regiis ditatus opibus, qui reſeruat, captiuus miſeriâ; ſe neſcit eſſe felicem. Erratis miſeri, dum terram primùm, hoc eſt, conditiones ad vitam commodè, & honorificè traducendam venamini; iis, vt arbitramini, repertis, tum de regno Dei videre incipitis; gratiam ſequuntur conditiones illæ; ſi futuræ ſunt verè vtiles & minimè fallaces; erunt lubricæ ac periculoſæ, ſi præibunt. *Quare appenditis argentum & non in panibus, laborem veſtrum & non in ſaturitate?* Chriſtum abſque argento emite, & reficiet vos, fiétque in vobis ipſius gratia fons aquæ viuæ ſalientis in vitam æternam, cuius in nobis ſitim dulciſſimam ac famem proritabit ſaturitate omni lætiorem.

CAPVT VII.

Huius vitæ felicitatem abſque gratiâ nullam eſſe.

1. ERrorem illorum vidimus qui gratiæ amorem fluxorum bonorum amore anxio ſupplantant, cùm ſit eorum quoque ſapiens diſpenſatrix, & domina gratia, quod ipſum gratiæ parum eſt, niſi ſit etiam eius parens, quæcunque poteſt in hac vita eſſe vera beatitas; illam enim nihil moror, ſtultam, infelicem, pecudum propriam, quam in voluptate ſtatuit

Epicurus,

Epicurus, cùm beatitudo bonis omnibus abſoluatur, quæ quo pacto ineſſe voluptati poſſunt excæcanti, abiicientique animi generoſitatem ad porcorum glandem, & carnis fœdiſſimæ ſeruitutem, occaſionéſque innumerabilium ſcelerum, quæ naſci ex felicitate verâ nullo modo queunt, vtpote ſemper optabili, ſempérque expetendâ. Ludit hoſtilem ludum hic Iſmael ancillæ filius, cum Iacobo; voluptas corporis cum animi gaudiis, nec futurus eſt hæres ancillæ filius, cum filio liberæ, ſed eiiciendus procul, & à nobis arcendus, eóque libentius, quo ipſum, cui ſeruit peſſimè afficit, & eneruat corpus: vt enim ſolum aquis ſtagnantibus frigefactum ſterileſcit, fitque ad fruges inutile, ſic, inquit B. Chryſoſtomus, effeminatur deliciis corpus, podagrâ, chiragrâ, tremore, paralyſi, morbíſque inſanabilibus labefactatur, trahitúrque per vitam minimè vitalem, & multis mortibus peiorem. Ad delicias verò cum appetantur ferè diuitiæ, patet, ne his quidem beatitatis aliquid ineſſe, vt quæ ipſa per ſeſe, tùm optabilis eſt, tùm mentem deſideriis exhauſtis quiete placida ſerenat: pungunt prætera, configunt, lancinant, cruentant diuitiæ, ſeu premas, ſeu teneas, ſiue etiam reuellas, aliter enim eæ ſpinæ non forent; cupiditatem, inopiam, ac mendicitatem ſuis pariunt, non opulentiam, planéque illos miſeros faciunt, alioqui non eſſet ſpiritu pauper & auri contemptor ex vero beatus, nec vlulare diuites in ſuis miſeriis iuberentur, dicerentúrque ſe multis inſeruiſſe doloribus. De honore quid at-

Gal. 4.

Orat. de fat.

Iacob. 1. ad Tim.

tinet dicere, cum alienus & extra hominem cui exhibetur, beare illum non valeat, totúſque ad virtutem, cuius eſt teſtimonium tanquam ad præſtantius aliquid referatur; Taceo, quàm vanum, æſtuoſum, anceps, diſcrimini obuium ſit totum hoc genus, quámque totum
Simil. c. 72. ſubitò hominem in peius immutet: Pingit S. Anſelmus honorum cupidos puerorum coloribus papiliones captantium volatu erratico, ipſorum laborem fallentes, diſcurrunt ſilentio pueri, complodunt manus vacuas tanquam plenas, conclamant prædâ læti opinatâ non captâ, impingunt interea, labuntur, alliduntur, eiulant, ceruices etiam nonnunquam frangunt; at ſi muſcâ illâ potiti fuerint, egregio venatu geſtiunt, & magnis ſcilicet illis ſucceſſibus gloriantur, ſic prorſus ambitioſi ſolent ob leuem pariter, & obliquam, vagam, & ridiculam prædam, tum maximè ridiculè ludere cum ſe putant magna maximè ſeriò agere.

7. Nec verò plus habent coniuncta hæc bona felicitatis, quàm diſtincta, cum explere, præ tenuitate capacitatem hominis & animi vota nunquam poſſint, voluntatem deprauent, mores perdant, virtutes corrumpant; periclitetur in deliciis caſtitas, in negotiis pietas, nec periclitentur ſolùm, ſed plerúmque aut totæ, aut magnâ parte pereant. Quibus etſi tot malis carerent hæc bona, ſed rapidiſſimo tranſcurſu cum effluant, oſtendantúrque potius quàm dentur, quis ſe putet in iis felicem niſi miſer cum iis tranſiturus, deſerto Chriſti & gratiæ amore, cum quibus eſſet æternum victurus.

Ex

Ex quibus demum conficitur nullam vitæ huius extra Deum felicitatem eſſe, cum ſolus impleat animi vaſtitatem, eiúſque in ſuâ vnius bonitate ac pulchritudine actuoſa deſiſideria, infinita pace, & gaudio componat. Huius porrò boni in poſſeſſionem gratia nos ducit, dum habitatorem noſtri Deum re vera efficit, nóſque illius incendit charitate, quibus duobus Theologi beatitatem integram præcisè definiunt, poſſeſſione, inquam, Dei & amore. Eſt igitur gratia, dum hic etiam viuimus, beatitatis auctrix & vinculum, & quamuis in cælo, videntes Deum ſicuti eſt, is mentis aſpectus Deum complectentis velut inita quædam eius poſſeſſio, felices reddat, ſed in terris, vbi nequit Deus, ſicuti eſt, à nobis videri, beatitudo noſtra peragitur Deum amando, ſicuti eſt, & quia talis eſt, eadémque illa quâ in cælo amatur charitate, licet hic obſcuram, claram illic, Dei notitiam ſubſequente. Accedit quod huic amori (ſeu mauis gratiam, ſeu charitatem appellare, ſunt enim, aut indiuidua, ab ſeſe, aut idem penitus) huic, inquam, amori nec deeſt ſecura ſtabilitas, quis enim illum inuitis eripiat? non deeſt rectiſſima & ſanctiſſima voluntas, ex qua totus conſtat; non deeſt copia, ſiue αὐτάρκεια, ac, vt ita loquar, ſufficientia, cum gratiæ compoti etſi deficiant omnia, nihil poſſit deeſſe, cunctáque cum Deo poſſideat. O fauſtitatem gratiæ paucis notam, paucioribus intimè exploratam, quos tenax illius ardénſque ſtudium, & reddit, pro vitæ huiuſce modulo iam beatos, & de bonis futuris 3. Bern. ſer. in dedic.

futuris ſecuros. Quò beatitudinem picturatam in dilabentium gaudiorum imagine conſectamini infelices, infeliciores poſt paulum, iis dilapſis futuri: Pudeat; pudeat ethnici hominis magiſterio ſapere, ſed iuuet nihilominus, Ariſtippus rei ſuæ neglectæ admonitus, & peſſum euntis; malo, inquit, mihi pereat, quàm me perdat.

CAPVT VIII.

Nihil eſſe miſerius, quàm gratiâ carere.

1. NVlla eſt media cui inſiſtamus, via; ſumus, aut neceſſariò beati, ſi Dei gratiam retinemus; aut, ſi ab illâ excidimus, neceſſariò miſeri, quo ex vtroque incredibilis eſt eius æſtimandæ, tum ratio, tum neceſſitas conſeruandæ, cùm præſente illâ, nihil abſit boni, abſente nihil non adſit mali. Præſens mox hominem ſupra hominem attollit, ſupráque omnem naturæ præſtantiam, in gradum perfectum, & diuinum: è contrario peccatum, quo vno fugatur gratia, hominem deprimit, deſtruit, abiicit infra naturam, & infra nihilum, inſtar iumenti, cœni, & pulueris; Vnde vix aliâ ſceleratos, quàm ferarum nomenclatione ſacra pagina dignatur: Chriſtus, Lupos, canes, porcos appellat: Ezechiel ſcorpiones; dracones, aſinos, & ſtruthiones Iſaias; Ioannes viperas;
Dauid

Dauid equos, mulos, tauros, aſpides,baſiliſcos; Iobus tygres, & Sanctus quidem Auguſtinus, illud Amanuenſis Chriſti. *Sine ipſo factum eſt nihil*, interpretatur de peccato, quod nequit Deum habere auctorem. At Chriſtus, plus aliquid dixit, peius eſſe pronuntians Iudam eſſe, quàm nunquam extitiſſe, ac meritò ſanè; Primum enim peccato defœdatur natura rationis capax, (cuius leges euertit qui peccat) diſſoluitur atque abiicitur; & quod hinc ſequi neceſſe eſt, reliqua propter illam à Deo condita, ſuo fine priuantur, & fruſtra ſunt; cuius iniuriæ ſi quem habere ſenſum poſſent, in peccantem omnia armarentur. Deinde autor naturæ Deus, conſeruator & finis peccato violatur, ſpernitur, &, quoad poteſt, de mundo tollitur, excuſſo videlicet & protrito maieſtatis illius ſupremo iure, atque imperio ſine quo non conſtat diuinitas. Itaque Chriſtus ſatis Deo offenſo facturus ſibi eſſe cenſuit moriendum, quod Dei offenſa ad eripiendam Deo vitam ſuapte natura ſpectaſſet.

S. Th. 1. 2. q. 71. art. 6. V. Leſſ. l. 13. de perf. diu. c. 26.

Adde quod peccato in Dæmonum ordinem redigimur ex ſupremo illo ordinis diuini, conſortio, in quod eramus gratiâ *ſubuecti*. Quare, *vnus ex vobis*, (ait de Iudâ Chriſtus) *Diabolus eſt*; & S. Chryſoſtomus hominem peccando fieri Dæmonem, haud quidem naturâ, ſed animi voluntate; ac peccatum, voluntarium Dæmonem nominat; nam, vt ſpiritum bonum in hominum mentes gratia inducit, ſic malignum hoſtem quod admittitur ſcelus; ex quo eſt illud Sancti Macarij, animâ peccante Dæmo-

2. Ioan. 6.

nem indui, totáque illius ſubſtantiâ veſtiri;& Chriſtum legimus ſeptem dæmonia ex pœnitente feminâ expuliſſe, quibus nempe illius animum in prædam ac ſedem patrata ſcelera dederant, licet corpus minimè obtinerent: Vt enim animam in Dei templum ſedémque Auguſtiſſimæ Trinitatis gratia conſecrat; haud abſimili modo culpa in Latronum ſpelæum, ac dæmonum fanum; qui, vt ipſa docuit veritas, ingreſſi habitant ibi, agúntque animum ſeptemgeminâ rabie in oppoſitos diuino ſpiritui tam horrendos & nefarios auſus, vt cadere in humanam naturam vix potuiſſe videantur; Demùm, eſſe *ex patre Diabolo* qui peccant non ſinit Chriſti vox dubitare, vt neque gratiâ munitos, dilectiſſimos Dei filios, & amicos; Quare notat S. Gregorius Nyſſenus, non abs re traditum, vt orandi principio ſignificaretur illum, *qui eſt in cœlis* patrem, inopem vocari; ne alioqui peccator dæmonem patrem rogando inuocaret: & poteſt inter hæc infœlix non ſui miſereri, non ſeipſe deflere, non rumpi dolore ſuique odio tam deteſtabilem in ſortem, ex tam beatâ, atque optabili, ſponte, vltróque deuolutus? ex Dei Templo, ſede, ac filio, in antrum, mancipium, ac filium dæmonis conuerſus, imò & dæmone peiorem, quippe naturâ ignobilior, ingrati animi ſcelere & in Deum, teſte B. Chryſoſtomo, conditorem ſimul ac redemptorem ſceleratus, cùm dæmonis crimen, conditoris tantùm offenſa fuerit. Quare nouis ait idem ſanctus eſſe inferis plectendum, qui poſt Chriſti mortem, peccatum

De beat.

Hom 54 in cap. 9. Ioan.

tum repetit, idcirco obitam, ne repeteretur. Quid autem qui toties repetit? qui loquendo etiam & agendo, cùm dæmon ſolâ cogitatione? qui poſt obtentam toties veniam, poſt exempla, fidémque ſupplicij? nam his omnibus titulis, præ dæmone, reus es impudentiſſime, & miſerrime tui hoſtis, magíſque vt loquar cum S. Chryſoſtomo, Diabolus, quàm ipſe Diabolus.

Peccato denique lethali ruinam trahunt regiæ illæ dotes ac diuiniſſima ornamenta, quæcunque beneficio gratiæ conferri in animam diximus, & eorum loco contraria omnia ſuccedunt, Deo illatam ſibi iniuriam, & contemptum in execrandum caput ingrati hominis contorquente, mortem, deformitatem; regni, felicitatis, diuini ordinis iacturam, imbecillitatem, ignorantiæ cæcitatem; quibus autem modis, aut cruciatibus aduerſus peccantes non ſæuiat, qui proprium filium alieni peccati, voluntarium ad tempus reum, reluctante paterni pectoris infinito amore, tot ſuppliciis ſubierit? Diſce hinc peccator, quali te ipſe piaculo obſtringas cùm ad vindictam adeò atrocem in filium vides Deum fuiſſe alieno peccato coactum. Quanquam hic etiam in peccantes rigor iuſto eſt lenior, ad immanem peccati, furiosámque malitiam. En etenim coràm infinita hinc Dei bonitas, maieſtas, excellentia, ſanctitas, amor, & beneficia, conditi, ſeruati, redemptíque hominis immenſo ſanguinis pretio, & bonis immortalibus deſtinati cœlitùs nobis ponuntur ob oculos; illinc ſe 3.

profert dæmon, quem vi, dolis, venenis in noſtram perniciem ſtipatum ambigere non poſſumus, & abiectiſſimis, turpiſſimis fœdiſſimarum rerum, maximéque inanium in hac vitâ promiſſis; in futurâ tormentis ad ſeſe pellicit, in medio poſiti conditionum tam diſſidentium ſtulti, amentes, ac ſtolidi pro dæmone cenſemus, & reſciſſo quod Deo debemus & diximus ſacramento, illud cacodæmoni dicimus. Poteſt-ne par pœna tam infinito ſummi & infiniti boni, maieſtatíſque ſummæ contemptui inueniri? Quid igitur mirum, ſi hunc odit horret, inſectatur, & temporariis, & ſempiternis inimicitiis, & cladibus Deus? mirum ſit potiùs hominem hæc noſſe, his credere, & tamen ſpirare, ac viuere, cauſáſque tantorum ac tam innumerabilium malorum, quà datur occaſio, repetere, quà negatur captare, & rapere; ſentiet, ſentiet aliquando, quantum ſit inter regiam Dei ſeruitutem, & ſanguinolentam tyrannidem dæmonis diſcrimen: attendat interim quibus tanquam carnificinæ præludiis tùm ſuperſtitioſos vexet cultores ſuos, extortis quoque paruulorum filiorum cruentis ſacris, tùm arreptitiorum corpora, in quorum animos nihil poteſt, indéque colligat, quid expectare in poſterum valeat; relectis verò quæ hîc retexuimus obiter, & diſtinximus anteà fuſiùs mortiferæ culpæ calamitatibus inueſtiget, núm poſſit aliquid eſſe peccante miſerius; nam etſi ponamus alicuius ſtuporem tantum eſſe vt occalluerit his malis, & nihilo propterea triſtior ſuis diuitiis, & oblectamentis inte-

rim

Digitized by Google

rim perfruatur; at hoc ipſum, inquit, S. Thomas non parui eſſe ſupplicij, quod eius ſcelera, dum viuit, nullius pœnæ beneficium caſtiget, quò minus malus ſaltē euaderet, ſed impunè (quod ingens malum eſt) ſuis adinuentionibus permittatur. Quin etſi ab eo pœnæ omnes, tum vitæ præſentis tum æternæ abeſſent, quarum horrenda grauitas ſolâ terret ſui obſcurâ recordatione, culpæ tamen vnius lethalis vulnere infelicior eſt, quàm ſi pœnas illas in ſe vnum congeſtas omnes pateretur, cùm has optimo Deo, ſed æquiſſimo vindici tam neceſſe ſit placere (cui niſi bonum placere nihil poteſt) quàm eidem culpam incredibiliter diſplicere.

CAPVT IX.

Quanti apud ſanctos fuerit gratia, & quanta fecerint eius causâ.

HIc velim aduertant animum, quos parui laboris, & incommodorum excuſationes veræ, ſeu friuolæ à peccati fugâ, & defenſione gratiæ retardant: nam eius tuendæ & conſeruandæ causâ ſancti viri non honori, diuitiis, cruciatibus membrorum lentis, non vitæ indulſerunt, cúmque in obſequium gratiæ omnia profudiſſent, magno lucro hæc damna duxerunt, & gratis illam ſibi datam putarunt. Atque imprimis ſumma & ſancta veritas iu- 1.

bet nos dextrum exſculpere oculum, dextram, pedémque abſcindere, crucem quotidie tollere, vitam proiicere, cùm hinc aliquod inſtat amittendæ gratiæ diſcrimen, cuius tenax præcepti Quirinus Martyr manus pedéſque truncandos præbuit; Serapion corpus articulatim conſcindendum; Nicephorus torrendum craticulâ, poſtea membratim laniandum. Quid autem in paucis hæreo? nihil excogitari crudeliter potuit, quod non ſit à Sanctis Martyribus gratiæ causâ toleratum. Alij verò eiuſdem periculo cauturi, ſuimet Tyranni & tortores vltrò extitere, rati præclarè ſecum agi, ſi peccandi diſcrimen quibuſuis corporum vexationibus redimerent. B. Ioannes de Bono acutas arundines vnguibus ſuffixit; B. Martinianus excitatâ è ſarmentis flammâ ſemel & iterùm diù corpus vſtulauit, ſeipſum interrogans quantillum hoc eſſet ad æternitatem ignium inferorum. S. Franciſcus in ſubſtratis modò viuis carbonibus, modò niue, & aliàs ſpinis nudo corpore volutatus eſt; B. Iacobus Anachoreta manum foco iniectam diù ſuſtinuit; & his parua hæc viſa & leuia, dum ne vllo in peccatum aſſenſu gratiam perderent, nec enim lapides & caudices fuerunt, qui ſenſu carerent voluptatum, ſed inbibuere ab illo ſuffragium arbitræ voluntatis, & conſenſionem eius repreſſerunt prudentiáque ſolidâ & verâ, breui corporum detrimento ſempiternam animi ſalutem afferendam iudicarunt. Quin imò vel ſolas, eáſque diſſitas labendi occaſiones expertus ſemel, is de quo dicebam S. Martinianus,

nianus, in deſertæ inſulæ ſcopulum exul ſpontaneus ſe recepit, & nec cellæ, nec antri patiens, quod ea ſibi exacti periculi memoriam refricarent, ſex ipſos annos ſub dio egit, in ſũma vitæ vt aſperitate, ſic excellentia & ſanctimonia, donec eò appellens ex naufragio proximo periculoſæ formæ Virgo, & capillis in terram ſubducta, opinionem illi certam fecit, ne illic quidem ſe ſatis longinquum ab iis quæ fugerat & horrebat. Quare Virginis curâ diuinæ prouidentiæ relictâ, crucéque fluctibus impreſſa, iis ſe velut naui commiſit, de ope non dubius ſibi tàm legitimâ in causâ cœlitus adfuturâ; & verò ſoluenti adnatans par Delphinum, tergo exceptum reddidit continenti. Quare igni, cellæ, terræ, ſcopulis, maríque diffiſus biennium peregrinatus eſt, omnium egens, victitans mendicato, nullo loco conſiſtens, niſi vbi nox illum occupaſſet; Tantum in eius animo valuit diuinæ gratiæ ſplendor verax & admiratio, eiúſque propugnandæ ardor, nullis aquis, & fluminibus extinguendus. Quis iam ſine rubore prætexat ignauiæ colores in foro Dei non ſanè probandos; quis ſibi de perdendo cœlo cum lis vertitur, & pugna initur, terram excuſet, & commoda; pereat corpus, dignitas, vita omnia; nobis, inquam, omnia, re nulla excepta, pereant, ne pereat gratia; homicida profectò ſui eſt, qui fruendis exitij ſui, retinendíſque cauſis, aut lætatur imprudens, aut ſciens non abſiſtit.

Attamen haud tota in eo fuit Sanctorum gloria ne gratiâ caderent, verùm id egere non minus

minus ardenter , vt amplificarent partas gratiæ opes & nouis quotidie acceſſionibus cumularent. B. Brigitta , vt virgo ſanctiùs quam nupta viueret , deformitatem oris à Domino Deo magni muneris loco impetrauit , eadem piæ Moniali cui obtinuerat à Deo viſum , in virtutis ſtudio creſcenti , cæcitatem denuò impetrauit; ne viſibilium aſpectu diſtraheretur a commercio ſancto meritorum. Sanctus Mandetus regis Irlandiæ filius , ne compelleretur ad nuptias morbum totius corporis exorauit tam peſtilenti fœtore infamem , vt abſque nauſea ingenti nemo ad illum accederet propiùs ; nempe vt maiore apud Deum gratia floreret. Sabas recens monaſterium ingreſſus decerptum pomum ex arbore mox proiecit; ac pedibus triuit , indignans quod illud ſoluendæ abſtinentiæ , omittendíque meriti diſcrimen ſubiiſſet , ac ſe omni pomorum eſu in perpetum multauit. Euſebius Monachus quod legenti ſibi Euangelicam hiſtoriam Amiano , minus attendiſſet , ferro latera præcingens ſic depreſſam ceruicem huic antrorſum catenâ iunxit , vt cœlum exinde ſpectare nunquam poſſet; ſic idem ferrum laxiore catena ſaxo alligauit , vt ſupta totos quadraginta quibus ſuperſtes fuit annos anguſtiſſimam cellam pro carcere haberet. Maurilium Epiſcopum interpellatum à muliercula , vt ſacro filium morientem chriſmate ſignaret, pietatis ſenſus iuſto diutius ad Aram tenuerat, igitur chriſmatis expers puer animam efflauit. Quod etſi nō poterat ſaluti eius officere, ſed incremento duntaxat gratiæ , quo eſſet eo ſacramento

mento augendus, tanto nihilominus dolore tulit Epiſcopus; vt clam ab Eccleſia profugus, & ignotus, hortulani ſe munere ac labore apud nobilem virum multos annos damnarit, aſſiduâ corporis afflictatione atque inediâ errorem leuiſſimum, ſi modò error fuit, & caſum deplorans alienum. Beata Mectildis impura canentes audiens, offenſæ diuinæ impatientiâ rumpebatur, cúmque aliud non poſſet in comminuto vitro ſe tamdiu verſauit, dum vnum toto corpore cruentum, & acerbiſſimum vulnus foret. Quid Sanctæ Chriſtianæ focos, gelu, membrorum lanienas, diuulſa, confractáque oſſa; quid aliorum alia ſiue amiſſæ piacula gratiæ, ſeu tuendæ arma, ſiue munimenta impetitæ; quibus referta eſt Sanctorum in eremo Patrum, & Eccleſiæ totius hiſtoria? Quod ſi ob alienam gratiæ iacturam tantùm doluere, fleuere, ſeipſós torſere, quid tandem à nobis, Deus immortalis! exigi cogitamus, ne illam ipſimet incurramus?

O hortum amœniſſimum gratiam! ô vitæ 3.
magiſtram, cuſtodem, ſociam, ſororem, paren- S.Ephr.
tem ac lucem! ô ſincerum, ac ſuauiſſimum S Bern.
balſamum! ô murum inexpugnabilem! Vitæ S.Chryſ.
arborem, ignem, ſal, iridem, boni omnis ma- S.Anton. S.Bruno.
trem, pluuiam, hortorum fontem; facem luci- Origen.
dam & ardentem, vinũ, lac, oleum, ſolem, bene- S.Bonau.
dictionem: his enim & præter hæc tám multis laudata ſymbolis, expreſſa, commendatáque & ab Sanctis Patribus gratia, vix vt eorum pars minima referri vel obiter valeat, quibus vim illius mirabilem, ac præſentiſſi-

mam nobis aperirent, pretium inculcarent perſuaderent æſtimationem, ac fortiſſimam conſeruationem. Sit nunc pro libri huiuſce clauſulâ, illorum vnius Beati Ephrem, inſtar omnium ſancta vox & adhortatio, ſermone quem habet de gratiâ; *Enitere*, inquit, *vt diuinam gratiam iugiter in mente habeas, ne illudaris; cole illam vt cuſtodem tuam, ne iniuriâ affecta te deſerat; venerare illam vt magiſtram tuam inuiſibilem, ne illâ abſente, verſeris in tenebris; ſine illâ noli certamen inire, ne tur-
2. piter pereas; ſine comitatu illius virtutis ſemitam ne ingrediaris, nam draco rugiens tibi inſidias ſtruet, abſque conſilio illius non tractes quæ ad animam pertinent, multi enim ſunt, qui ſpecie recti mentem deprauant:* & paulò poſt, *cum promptitudine animi morem ipſi gerito, & cuncta tibi perſpicua reddet; filium altiſſimi efficiet te, ſi illam tibi ſororem adiunxeris, inſtar matris vbera præbebit tibi, & velut infantem ab inſidiatoribus cuſtodiet te; amori eius & indulgentiæ fidem adhibe, ea enim omnis creaturæ principium eſt. Nondum eius erga te amoris vim cernis? quoniam & lactentes pueri matris erga ſe ignorant ſollicitudinem; patiens eſto, & illius te ſubde conſilio, atque ita eius fructus, vtilitatémque percipies; neſciunt quomodo nutriantur & infantes; at vbi creſcendo adoleuerint, viríque euaſerint naturæ vim in ſe admirantur, ſic & tu ſi in diuinâ gratiâ perſtiteris ad perfectionem peruenies.*

DE

DE INÆSTIMABILI PRETIO DIVINÆ GRATIÆ LIBER QVINTVS.

CAPVT I.

De fidei virtute, prima ad gratiam animi comparatione.

DEBILIOR eſt naturæ oculus quàm vt ad fontem gratiæ, ſplendorem, ac pretium, ad promiſſorum cœleſtium, & arcanorum notitiam diuinæque in pœnitentes miſericordiæ pertineat, niſi ſuperiori luce fidei Chriſtianæ confirmetur, Angelis etiam haud per ſe congenita; tanta eſt gratiæ, tanta diuinorum myſteriorum excelſitas: hæc ſapientiæ ſupremæ participatio, ac lucis illius in quâ ſeipſe contemplatur Deus, mentem cœli natalis ereptam tenebris transfert in altiorem ſphæram, & inſuetum intelligendi modum, quo cœleſtia non ſolùm capiat certiùs (ta- 1. Concil. Trident. ſeſſ. 6. c. 5. & c. 6.

 metſi

merſi obſcuriùs) quàm quæ ſenſibus percipit, ſed his quoque terrenis expurgetur , agnitâ pariter eorum falſitate ; vtque ſole videmus non modò illuminari cœlum , ſed etiam pur-
Act. 15. gari , ſic videtur dicere Sanctus Petrus , fide purificari proborum corda , iiſdem enim quibus Deus oculis , fides cernit , eodem iudicio res cenſet, eâdem ponderat æquitate , cùm totâ veritatis ſummæ certiſſimâ luce ac ſapientiâ, errori haudquaquam obnoxiâ nitatur ; hoc tanquam vehiculo & ductu ſuos nobis gratiæ theſauros diuina bonitas effundit ; ad hunc ſolem gratiæ pulchritudo , valor Chriſti ſanguinis & color , diuinæ offenſæ monſtroſa feritas , iudicia , ſupplicia , præmia ſpectantur , inflammatúſque animus ad iuſti vindicis ſalutarem metum , amorem immenſæ bonitatis, & vitiorum execrationem , excipiendæ gratiæ paratur.

2\. Verùm enimverò donum hoc fidei tam potens , viuum , & efficax , penetrabilius ancipiti gladio , habent plerique omnes vt in vaginâ reconditum, ac tanquam ignem ſub rerum inanium cinere latentem & mortuum , quæ cauſa eſt , vt paruo ſit iis vſui , diúque fructu illius careant , dùm ictu aliquo aduerſæ fortunæ, aut valetudinis vehementius excitetur ; tunc demùm ſe profert ; tunc quàm ſit nihili hoc totum quod depereunt homines clarè monſtrat; tunc ſcintillas mittit quibus charitas accendatur : abſit tamen hos ictus expectemus , quibus fodicatus hic fidei ignis flammam ſuam tollat , & ardeat : proritandus eſt attentâ rerum

ſacrarum

ſacrarum meditatione, terendum eſt hoc ſynapis granum vt vires exerat, cieat lacrymas, pungátque animum acerba vitæ anteactæ memoria: promenda ſunt pharmaca ſigillatim ex hoc vitali ſcrinio, digerenda, liquanda, miſcenda, adhibenda, aliàs minimè profutura; hoc eſt, æterna myſteria, ſanctæque ex iis cogitationes verſandæ toto animi conatu, explicandæ, mandendæ, vt quicquid iis ineſt, ſuum expromat ſeorſim lumen, & ardorem, voluntatíque ſubiugandæ ſuum ſingula robur euoluant, & imprimant; nam ſi poteſt aliquid probabilis ratio, multóque plus euidens, quid fides viuida, & ſe totâ præſens non poterit? Hebr. 11
cuius immenſam poteſtatem de regnis, leonibus, & flammis, gladiis, bello, morbíſque triumphantem nobis Apoſtolus deſcribit: Sancti denique per fidem operati ſunt iuſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones; omníſque illorum ad Deum conuerſio à viuaci hac fide profecta illos ab ſæculo, parentibus, agnatis, séque ipſis diuulſit, vt Deo iungeret, cœlóque insereret.

Cur ergo doni ſingularis efficacitatem inertes premimus, eámque perinde detinemus vaſe fictili concluſam, ac ſi ad nos minimum attineret? otioſam, languidam, torpentem, víxque ſatis interdum obſcurâ conſcientiâ ſe nobis prodentem, quaſi defectæ ac proſtratæ dubius pulſus arteriæ: Quæ Chriſtianorum incogitantia omnium eſt origo ſcelerum, vt fidei vigor omnia in officio continet: nec fieri poteſt, vt ſit moribus prauus, qui eſt meditata, 3.

præſenti & diſtincta fide verè Chriſtianus. Sed enim, proh dolor? eorum quæ fides nos docet, & quibus pro frœno nos regit, ac inhibet, magnitudinem, celſitatem, & compertiſſimam, firmiſſimámque veritatem obimus tanquam hiſtorias veteres negligenti, leuíque oculo; nec demittimus in animum penitus fore certò ſupremum de nobis iudicium, dicturóſque nos coram iudice offenſo & incorrupto cauſam etiam de verbo inutili; nihil eſſe peccato deterius, & horribilius; Chriſtũ huic delendo totum ſanguinem, vitámque inſumpſiſſe, plectendum rogis, & cruciatibus ſempiternis; hæc porrò magis explorata eſſe ac liquida, quàm lucere ſolem & diem heſternum præteriſſe; negauit Abraham Epuloni tormentorum eius ad fratres teſtem, etſi permoturus dirâ & miſerabili ſpecie illos videbatur, quod haberent Moyſem & Prophetas, hoc eſt fidem euidentiâ ipsâ & experientiâ certiorem, cui potius ipſos par erat, quàm mortuis credere. Huius verò poſt diuinam opem tam præſentis & firmæ perſuaſionis aſſequendæ, vna eſt ratio vt ſubeamus in intimas eorum quæ credimus, medullas acri & aſſiduâ meditatione, ſingulorum grauitatem, firmitatémque rationibus validis, & viuis æternorum imaginibus animo inſculpamus; demùm eorum quæ ſingulis inſunt diſtinctam fidem, & indubitatam crebrò ex propoſito iteremus; ex hac enim contemplatione atque vſu S. Hieronymus audire ſe vbique putabat tubam mortuos ad iudicium excitantem: Beatus Ægidius vnus ex

primis

primis Sancti Franciſci comitibus videre ſe magis cenſebat, quam credere: Sancto Ignatio ante venerabile Sacramentum arrigebantur capilli præ reuerentiâ, quaſi apertam Chriſti ſpectaſſet Maieſtatem,& B. Borgia ad aram faciens, cùm ventum eſſet ad ſacrificium tremore concuti cernebatur: Sic nobis ex rerum vnaquaque acutè introſpectâ nobis ad credendum iniunctarum, mille faces & radij, fidei, mille ignes ſanctæ charitatis emicabunt.

CAPVT II.

De timore Dei, alterâ ad gratiam animi comparatione.

VBi fides iam ſibi pleniùs mentem vindicarit, ſequitur illicò animus eius facem & 1. timore ſancto diuini iudicij ac pœnarum, ad Deum incipit adſpirare; eſt enim hic timor ſapientiæ initium, ac primus voluntatis ſalutis ſpiritum parturientis niſus, ex acrimoniâ naſcens fidei vehementis, quam quis malignitati ſuorum criminum, & ſeueritati diuinæ iuſtitiæ præſtitit. Hoc metu perculſus rex pœnitens, Domine, exclamat, ne in furore tuo arguas me, neque in irâ tuâ corripias me; non quod inſit Deo hæc perturbatio furoris, atque iræ, ſed horum effecta,& inflexus rigor æquitatis ſub quo curuantur qui portant orbem, & columnæ

Digitized by Google

columnæ cœli contremiſcunt. *Meticuloſum*
Inn. III. in Pſal. 142. *eſt*, inquit Innocentius, *omni viuenti coram te cauſam agere criminalem, quia; cùm ſis potentiſſimus; manus tuas nemo poteſt effugere; cùm ſis ſapientiſſimus, oculos tuos nihil poteſt latere, cùm ſis iuſtiſſimus, animum tuum nemo poteſt corrumpere* (quæ tria in Iudice ſunt maximè horrenda) *coram quo accuſatrix eſt conſcientia, rea mens, aduocatrix ratio, teſtis memoria, & tu iudex.* Fruſtra nobis ipſis latebras tendimus, ac interiorum noſtrorum vultum diſſimulamus
Aug. l. 3. Confeſſ. c. 9. non tantum aliis ſed etiam nobis. Videt illum penitiſſimè qui finxit oculum, & cuncta ſcrutatur, quo teſte non raró damnantur, quæ celebranda homines iudicarant; nam ſi ſcrutatur Hieruſalem in lucernis ſi parum mundus eſt in conſpectu eius cœlorum nitor, & in Angelis ſuis reperit prauitatem, Babylon rea, impius & peccator vbi apparebunt?

2. Seueritatem verò Dei inexorabilem nullum peccati næuum etiam tenuis impunè omiſſuram acriter cogitanti, vereor ne ſatisfeciſſe iuſtitiæ potius quàm clementiæ videatur, & cùm aliquid reſtet, quod miſericordiæ debeat, nihil iuſtitiæ debere. Sunt enim ſcelera, quibus cùm poſſet, non pepercit innumerabilia, nullum cui citra ſatisfactionem ſummo iure à Chriſto acceptam, pepercit. Ad hæc etſi abundet plus ſatis mors filij Dei, & diuinus ſanguis ad aſſerendos ab omni crimine, ac pœnâ complures mundos, damnantur nihilominus homines infiniti, cernente ac ſinente Deo, ex multis vocatis quàm pauci leguntur? quàm

multi

multi primo ex vitæ limine abrepti, quanquam ab inferis immunes, cœlo excluduntur? quot ex tam immenſa, nobili & perfecta multitudine purarum mentium, quo lapſu in Dei offenſam ruerunt, eodem nulla ſpe recuperandi ordinis, aut placandæ vnquam miſericordiæ in ſempiternos rogos ſunt detruſi? Deinde primum hominis peccatum quam calamitoſa tot ſæculis, & longa ſeries flagitiorum, & exitiorum ſecuta eſt? Quid non pœnatum exſolutum, & etiamnum exſoluendum? quantum luit malorum Adamus poſt condonatam licet offenſionem liber, quantum poſteri luunt? quàm infinitis partibus culpam ſatisfactio ſuperat pro nobis oblata? poſt Chriſti denique redemptionem adeo copioſam & exuberantem, quàm multa nihilominus ſuppliciorum, ſcelerum facinoroſorum millia, & perpetuis ignibus damnatorum, vt Antiochiæ ciuitatē populoſiſſimâ, & ante alias vniuerſi orbis Chriſtianorum appellatione dedicatâ, inter tot myriadas hominum dubitarit S. Chryſoſtomus, num vel centum forent ſalutem adepturi: recurrat illud Archidiaconi Lugdunenſis iam vita defuncti ad Præſulem ſuum oraculum, ſtetiſſe ſecum ad Dei tribunal animarum triginta millia, ex quibus ipſe cum Sancto Bernardo cœlum rectà, piaculares flammas tenuiſſent tres tantū, cæteræ omnes in ſempiternas actæ præcipites; illud item mulieris, quæ fratre Bertoldo in quædam flagitia vehementiſſime perorante, ſubita ex morte, aut mortis ſimili defectu reuerſa, frequenti quæ

Hom. 4. ad pop.

S. Vincētius Dōminica Septuag. ſerm. 6.

aderat concioni retulit de ſexaginta hominum millibus diuino tunc repræſentatis iudicio, tres tantùm igni temporario, reliquos omnes æterno addictos. Quid de ſexcentis millibus Hebræorum in promiſſam patriam deſtinatis, cum ægrè duos illam tenuiſſe videamus? De orbe hominum octo vix diluuium euaſiſſe? Prophetam errore potius quàm culpa lapſum, fuiſſe ab leone confeſtim iugulatum? Aaronis filios ob ignem alienum ſacris adhibitum igne ſacro abſumptos? caſtigatum exercitus ſtrage ſacrilegium Acàni? Dauidis quandam ſiue gloriolam, ſiue quid aliud fuerit quod noſtros fugiens, perſpicaces æquiſſimi iudicis oculos non fugit, hominum ſeptuaginta millium mortibus vindicatum? mundi tandem vt plura exempla ſileam, peccata in dilectiſſimo filio tam atrocibus à patre punita ſuppliciis? hæc dum animo reputamus, poſſumus ſcilicet male nobis blandiri de miſericordiæ lenitate, & patrocinia peccandi ex ea petere? poſſumus quicquam in tribunalibus hominum maximè cruentis ſeuerius & horribilius inuenire? Ah, Quàm verè horrendum & omni opinione formidabilius incidere in manus Dei.

3. Addamus potentiam ſeueritati huic parem ad conferenda illicò in opus iuſtitiæ vindicis mandata, de qua pſaltes Propheta. *Quis nouit poteſtatem iræ tuæ, aut præ timore iram tuam dinumerare:* Armantur pro ſuo autore omnia contra peccantes elementa; præfocant orbem refuſæ alueis, & gurgitibus vndæ: igne cœleſti fœdum in cinerem pentapolis florentiſſi-

ma concidit, ſorbet primos ſchiſmatis archi-
tectos dehiſcens terra; *& vidi*, ait Iob *qui* Iob 14.
operantur iniquitatem, & ſeminant dolores, flante Deo, periiſſe, & ſpiritu oris eius eſſe conſumptos. Sed hæc lanea prorſus & mitia, quia fluxum temporis ſequuntur; illa illa ſtricto ferro manus in inferis ſæuiens; & ineluctabili carcere, tot damnatorum myriadas, nullâ vnquam tormenti eorum ſempiterni miſeratione coërcens, crucians, & morte trucidans nunquam moriturâ, in ipſos ſpiritus igne corporeo graſſatur; naturæ legibus maiore, ſed iuſto imperio vim facit; prunas frigoribus indomitis, faſtidiis rabioſam famem; tabem purulentam miſeræ incolumitati; æternitati mortem tàm miris quàm veris confundit & committit modis, atque iris, ad torquendos diuinæ offenſæ reos; nec terret nos tamen dextræ illius pondus, ſed illecebris peccandi & aſſuetudinis, opinionúmque corruptelis eliſum retundimus, vt alacrius pereamus. O doloſas noſtras, nobíſque infenſas cogitationes: ô falli vltro fraude exitiabili volentes! Tam formidandas pœnas, tam prope nobis imminentes ore tranquillo credimus, cernimúſque, & inter hæc riſui, epulis, commodis, inaniis indulgemus? Si vnum tantummodo ex omni hominum qui vnquam extitere, futuríque ſunt multitudine, inferorum ſupplicia poſcerent, timere profectò vnumquemque noſtrum oporteret, ne mortalium infeliciſſimus is eſſet, quem ſors tam crudelis opprimeret; iam cum nobis nihil ſit verius nihil exploratius quàm

 ſaluos

ſaluos fore pauciſſimos, reliquos iis pœnis æternùm mancipandos, an non planè horrendum, tam horrenda tam parùm cauere, & horribilius nec timere?

CAPVT III.

De ſpe Gratiæ diuinæ tertiâ ad illam animi præparatione.

1. NE quis tamen hoc metu extra metas ſalutis abreptus deſperet, aut intra illas velut ſyderatus abſque ſenſu, motúque hæreat, temperandus eſt dulci memoriâ ſupremæ bonitatis; fruſtra timet qui timenda non cauet; fruſtra deformi, & ſanguinolentâ admiſſorum ſpecie terreor, niſi iacentem ad ea profligan-da, deſtruendáque ſpes erigat: vincant ſane numero arenam litterum peccata, montes grauitate, iis furor iuſtitiæ ſe toto, totis inferorum cruciatibus incumbat, ſed eſt leniſſima bonitas, & quicquid iuſtitia egerit ſæuiendo, nunquam huius parcendo indulgentiam ſuperabit; nam miſerationes eius ſuper omnia opera eius, totiúſque in ſontes Angelos, hominéſque iratæ iuſtitiæ, nunquam placanda, nunquam remittenda contentio, nihil eſt facto vel vni compoſita, quod puncto temporis diuina miſericordia patrauit: Denique vltorem non poſcit æquitas infinitum, infinito miſericordia non-modò eguit ſeruatore, verum eodem infinitis

infinitis nominibus, operúmque meritis infinito: pœnas niſi coactus nunquam Deus infligit; veniam & beneficia ingerit, & repulſam illorum ægerrimè accipit; curandis pœnis ſtillam ſudoris nullam dedit, paranda veniâ & ſacro flagitiorum piaculo ſudorem, ſanguinem ac vitam in extremis cruciatibus inſumpſit; potentiam omnem in reorum ſuppliciis non exhauſit; exhauſit in ſceleribus condonandis, cum diuinitatis corporatæ in noſtras miſerias deſcenſu nihil poſſit maius à Deo perfici: reconciliato per veniam reo, naturæ propriæ, ſanctimoniæ, charitatis, Spiritus ſancti conſortium tribuit, virtutes infundit principes ac diuinas, & dona cœleſtia: quâ opum & ſumptuum tantorum particulà Deo conſtant, damnatorum omnium omnes pœnæ? Itaque ſi iure vindex eius ſeueritas eſt timenda, haud paulò pluribus, & æquioribus titulis bene ac prolixè de ipſius miſericordia eſt ſperandum.

Quòd ſi nonus ſolum mentium ordo beatarum mortalibus ſingulis cuſtodes ſuppeditat 2.
ſingulos, plures abſque vlla comparatione in cœli regiam diuina bonitas excipiet, quam ſeueritas pœnis damnet, cum ſuperiores ſpirituum chori ſubiectos longè numero excedant, & his inſuper cunctis acceſſuri ſint homines beati. Deinde quid vetet ſperare tempora, quibus piorum meſſis vberior, cœli horreis inferatur, quàm quæ hactenus illata eſt, fiátque plenius vnum ouile, & vnus paſtor? Pro centum hominum ſalute S. Chryſoſtomus ex omni Antiochia vix ſpondebat? nempe tunc etiam

Iudæis, & Ethnicis refertâ; triginta millium animarum æternam ſtragem dies vna vidit? at quoties vndecim, ſedecim, triginta millium non tantum ſalutem, ſed triumphales in cœlum pompas & coronas vidit? E Chriſtianorum autem vulgo beatitatis portum, partem maximam tenere Sacramentorum Chriſti efficacia ingens perſuadet: ſunt enim clementiæ ad reſtituendos in gratiam reos, inuentiones quàm mirabiles, tam potentes, habétque plures parcendi cauſas quàm iuſtitia vlciſcendi, etſi ſit vtraque infinita, clementiam enim liberalitas, bonitas, beneuolentia, ipſa potentia ſuorum amantiſſima operum, ipſa Dei natura in beneficium illorum prona, fulciunt, acuunt, & inflammant: magis ſolitaria videtur iuſtitia, carétque præterea incitamento ponderis ad dandam veniam infiniti, Chriſti ſanguine, voce, vita & meritis, quibus vehementiſſime vrgetur clementia: Vnum iuſtitiæ ſupereſt incredibile peccati odium, nec illi proprium ſed cum miſericordia commune; magnúſque Deo parcendi aculeus, vt illam à nobis quantociùs abſtergat maculam quam nequit pœnarum æternitas delere, quámque nos illius minorè odio quam quod ipſe gerat exterminari cupimus, & rogamus. Quis ergò hic ſperandi luce tàm multâ & verâ, de miſericordia non magnificè, largiter, ampléque ſentiat?

3. Eſt verò hæc Dei fiducia, tum ad formandam in animo gratiæ æſtimationem perneceſſaria, vt quæ nullis poſſit, niſi Dei viribus optari, nedum poſſideri; tum ad erigendam

abiectio

abiectionem animi, timore proſtrati, alliciendámque promiſſionibus præmiorum quæ bonis ſeruantur. Deo autem mirâ deſideriorum properantiâ optante, iubente, omniáque mouente, vt velimus ex vitiorum cœno emergere, quis ſe deſperet emerſurum, vel id ſerò & languidè expectet? Si quem altiſſimo puteo defoſſum attolli Princeps ad oram machinis iubeat, ſpondens tunc manum ſe illi daturum, ac vbi euaſerit regni dimidium; ſpe quantâ, quàm vegetâ conatus expromat in remedij propinqui & facilis gratuitam aſſecutionem? Idem planè in ſonte tranſigitur, fidei ac ſpei adminiculo cœlitus ex peccati voragine ſublato, habentíque in promptu potentiſſimam Dei manum, quâ, niſi hanc ſpreuerit, aſſertus, in regni partem adſciſcatur. Quid ceſſas miſer? quin manus illius præſidium occupas? cur frigus, laborem, moleſtiam nihili, ſtolidè cauſaris, ne brachium extendas, ne æternitatem regni momento lucreris, cruciatum euadas? Ah deſes, ignaue, ſtupide, tui homicida, & decoctor infamis patrimonij diuini! adeſt paratus in auxilium Deus, cur tibi deeſſe obſtinas? iunge quod potes, & quod debes, Deo, quantum ſinis, & vltra quam debet, opitulari tibi ſatagenti: incœpit ille, tu ſequere; vocauit, reſponde; datis vtere, vt creſcant, & gratiam pro gratia recipias, eſt enim ipsâmet non minus certum veritate; Deum homini ritè comparato, nec ſuam gratiam negaturum, nec puncto temporis dilaturum.

CAPVT

CAPVT IV.

De contritione poſtremâ ad gratiam animi præparatione.

1. EX eadem illa bonitate, quæ ſpes reorum ad petendam, expectandámque veniam expectat, erumpit amor eius bonitatis, hoſtes etiam capitaliſſimos ad ſe tam beneuolè reuocantis, hinc acer illius violatæ dolor, inde propoſitum vitæ melioris, atque in poſterum innocentis, quæ tria veram peccati deteſtationem, certam gratiæ pronubam componunt: Vix enim hunc animus dolorem ex Dei amore concepit, cum ab eo peccatum illico expellit, & ſolem gratiæ inducit, ex cuius præſtantia, ſi rectè philoſophari volumus, quanta ſit contritionis admirabilitas cernemus; nam ſi vt refert S. Thomas, multi in ea ſententia fuerunt, non poſſe rationalem animam, ob ſui excellentiam in corpus induci niſi perpurgato ſubtili, penéque incorporeo corpore præparatũ; alij niſi animæ vegetanti lux quædam ex ſtellarum orbe, ſentienti verò è criſtallino cælo ſuperior, ingreſſum in corpus adornaſſet; at rationis participem egere alia maiore ex empirei ſedibus defluente, tanta iis inerat apparatus opinio ad excipiendam animam neceſſarij, vt totam ad illum contentionem ac robur naturæ ægrè putarent ſufficere; Ergo ſi ad vitam corporis miſeram, breuem, maculoſam, præparatio

tio tam ſublimis expoſci credita eſt, qualis; quæſo, ad vitam animæ felicem, ſanctam, diuinam, immortalem nimirum gratiam; qualis ad perpetuum hoſpitem, & habitatorem Deum in eam inducendum? Quàm admiranda contritionis veræ efficacitas, & maieſtas ex venenata ſcoria, & plumbo aurum defæcatiſſimum; ex dæmone Angelum, ſolem ex tenebris; ex morte, ac ſepulchri tabo repentè vitam educentis; eámque integerrimam, ac beatam? Huc, huc potiùs cupiditatem illam, labores huc vertite, concurſationes, indaginem & ſumptus; vos qui conficiendi auri artem, ac tranſmutandi metalla quæritis; tam affluenter id præſtitura eſt vobis contritio, vt è veſtigio gratiã; Deum, cælum veſtri iuris, fructúſque efficiat. Huc & quoſcunque Dei amor, & animæ cura ſpargit in varia non raro pietatis ſtudia palantes, nihil enim hoc dolore animi & contriti cordis ſalubrius, ſolidius, melius, & contra mortis æternæ diſcrimina certius; ſiue ergo decumbis, ſeu expergiſceris, hoc tecum ſalubri ſtigmate peccata confige, ſiue ad Deum accedis precaturus aut Sacramẽta eius excepturus, ſeu graue quidpiam aggrederis, aut prauis impulſionibus ſollicitaris ad peccandum; potiſſimum verò, ſi quâ, quod abſit, culpâ à Deo excideris, vel mortis periculo vrgeris, mox ad aram hanc fuge, hanc iace anchorã, hoc remedio reuiuiſce.

Quod vt tibi ex ſententiâ procedat, fructúque ſuo non careat ex Dei amore naſcatur neceſſe eſt, amore, inquam, ſupremæ illius, & incomprehenſæ bonitatis, pulchritudinis, largitatis 2.

Digitized by Google

tuo ſcelere turpiter offenſæ, indigniſſimè violatæ, miſerabiliter amiſſæ. Quam boni iacturam infiniti, pœnarum ream æternarum, quæ ſatis deflebunt lacrymæ, tametſi fuerint infinitæ, debet enim doloris magnitudo, pro noſtro modulo, læſæ bonitatis infinitati reſpondere, & huic dolori propoſitum vitæ deinceps emendatæ nullo vnquam metu aut cupiditate inflectendum; cùm, quantum malorũ fingi poteſt, ſit vel vno peccato leuius. Cuius propoſiti, ne, vt nimium ſæpe vſuvenit, eneruetur, & euaneſcat vigor, irrideríque Deus repetitis noſtris per inconſtantiam proditionibus videatur; non pedi, non oculo, non dextræ, multò minùs deliciis, opibus, cõmodis parcendum: reuellenda, truncanda, abiicienda ſunt etiam cum horrore & odio, ſi nos in relabendi periculum trahere ſentiuntur: nam ſi ad eximendum calculum, podagram ſoluendam, ſiccandas ſcrofulas, denique ad valetudinem corporis, vitæque putridæ conſeruationem, nec diuitiis nec membris, non exiliis, ferro, igníque parcitur; ad vitandũ malorum maximum cunctari non pudebit, & commoditatũ, vel honoris minutatim ducere rationem?

3. Et huc vſque veniſſe, præclarum quidem eſt, receptâque gratiâ gaudere; at quæ ſpes ſalutis, niſi vſque in finem teneatur: hûc ergo conatus vertendi ſunt, ne ſi eadem peccemus, deterius nobis aliquid contingat, & ingratus poſt beneficium veniæ animus, morte improuisâ, vel iuſtâ obſtinatione feriatur; nam ſi non es vno in ſcelere immunis, vt quid duplicia alligabis? De propitiato peccato ſi non debes eſſe

adeò

adeò ſine metu, vt ceſſes pro eo dolere ac ſatisfacere, equid addes noua veteribus irriſor Chriſti ac dilapidator ſumptuoſiſſimi pretij, quo te paulò ante aſſeruit, ſpretor, & proculcator ſanguinis, quo te lauit, amici, hoſpitis, ac patris nefarius proditor? nam ſi inimicus meus maledixiſſet mihi ſuſtinuiſſem vtique: Tu verò: ah trucem perfidiam? Tu homo, vnanimis, dux meus, & notus meus, conuiua ciuis, ſocius, comes frater, filius, alter Deus; aſſumamus cogitationes, & contentiones his nominibus conſentaneas, & detersâ iam peccati leprâ, reuulsóque ex imis præcordiis lethali telo, ad exſcindendos indidem habitus vitioſos accingamur, expiandáque ſanctis laboribus pœnarum heu! immenſa nomina, quæ pendenda nobis ad vltimum quadrantem poſt culpæ veniam ſuperſunt. Quot ſæcula Adamus pœnitēs; quot annos Dauid, & quàm exercitos, & duros; quos Magdalena, Petrus, Paulus, innumeri alij, poſt donata etiam peccata luxerunt, piiſque ſe ſtudiis macerarunt? Viuimus eſto, ſed parum firmi, ſed debiles, nec ſatis ſecuri; attendamus quàm præcipuè partem labefactarit præcedens morbus, & eò pergamus fomenta, præſidiáque congerere, haud ſanè quauis applicatione, ſed continuatione ſanatura. Argumento eſt iterata culpa, prioris radicem animo hæſiſſe vt docet S. Baſilius; nam ſi exempli causâ, in eamdem inuidentiam, aut diſſidia incidiſti, ſcias horum radicem eſſe appetentiam gloriæ etiamnum pectori defixám; his extirpandis radicibus donec ſeriò manum, ferrúmque admoueas, ſecundos

Bernard. ad fratr. in heremo.

& tertios, pluréſque lapſus non vitabis. Non eſt horæ negotium, nec in confitentis abſolutione, quamuis legitimâ, tranſigitur; opus eſt viuaci peccatorum, pœnarum, officiorúmque meditatione, Sacramentorum frequentiâ, lectitatione piorum librorum, interioris hominis culturâ, quibus corroboretur animus ad tenacitatem ſancti propoſiti; fruſtrà enim, & falsò ſtatuis fidelitatem Deo te inuiolatè ſeruaturum, etſi hoc pari cum Paulo Apoſtolo ſtatuas firmitate, niſi neceſſaria complecteris ad propoſiti emendationem præſidia, vt in caſſum ægrotus reualeſcens, & febre vix pulsâ, magna ſtatim molitur opera atque itinera, niſi priùs vires aluerit; vt verò huius in hoc potiſſima verſatur cura, ne quâ febri reditum præbeat, ſcrupuloſo ciborum, potus, ſomni, motus, occupationum, auræque delectu; ſic pœnitens animus, ſi modò non fictè pœnitet, ante omnia id agit, eíque inſiſtit, vt occaſiones peccandi non ſolùm declinet, ſed oderit etiam, & quàm longiſſimè fugiat, nec ſit tam demens, vt loca, officia, conſpectus, conſuetudines hominum, aut quiduis aliud ſubeat, vbi ſe toties æternæ ſalutis feciſſe naufragium, vel ſubiiſſe periculum meminit, in perpetuum periturus, niſi gratuitam manùm, & tabulam diuina ſibi miſericordia porrexiſſet.

CAPVT

CAPVT V.

Quibus exerceri virtutum ſtudiis oportet diuinam gratiam aſſecutum, præſertim verò de charitate in Deum.

CVm verò adſcitus in gratiam ex mancipio Satanæ in Dei filium ſit mutatus, decet pariter vitam ac mores mutet, carníſque ac peccati loco ſubſtitutâ ſpiritus radice, fructus ſpiritus proferat, charitatem & gaudium, diligendo Deum, eiúſque amore gaudendo; pacẽ tanquam ſancti gaudij coronidem, deſideriis inquietis, rebúſque infimis imperantem; patientiam malorum præſentium; longanimitatẽ in tranquilla futurorum bonorum expectatione; bonitatem benè aliis faciẽdo; & benignitatem, bono igne amoris, vt Theologus exponit, ardenter in id incumbendo; manſuetudine iram cohibendo; fidelitatem procul fraudibus, & calliditate; modeſtiam, decenti motus omnis externi; continentiam & caſtitatem appetentiæ quoque cõceſſorum, vetitorúmque temperatione, quibus duodecim vitalis arboris fructibus ſic viuit gratiâ præditus, vt nihil in ſe admittat diuini ſpiritus hoſpitio, & ſanctimoniâ indignum. Præter hos verò fructus, quibus animam virtutes cœlitùs infuſæ locupletant, eamdem ſuorum donorum inſtinctu Spiritus S. mouet ad ea opera, quibus veritas ipſa beatitudinem attribuit cùm ſapientiæ Academiam, & os Sacro-ſanctũ 1.

 aperiens

aperiens, octo illa effatus eſt, non ſeptem Græciæ ſapientum ſed cœli oracula, quorum executionem arduam, & laborioſam peculiaribus diuini ſpiritus auxiliis niti oportuit. Beati pauperes, mites, lugentes, iuſtitiæ fame, ſitíque ardentes, miſericordes, mundi corde, pacifici, perſecutionem ſuſtinentes, quâ beatitate ſeptemplici hominem perficiente, octauâ perfectum declarante mundi beatitas vndequaque omnis proſcribitur, ſiue in deliciis, ſeu in gloriâ, vel in bonis fortunæ nidificare ſomnietur, qui ſunt tres potius omnium infelicitatum gurgites, quibus tanquam eluuione mundus abſumitur.

2. Princeps tamen opus, & maximè proprium, ac natiuum hominis gratiã adepti amando Deo continetur, cuius amoris fontem diffusã animo poſſidet charitatem, paulatim haud dubiè exſiccandam, retróque in ſuã originem ceſſurã, ſi otioſus teneatur, nec ſinatur aureis, & pinguibus riuis exundare. Quare, diliges, inquit Deus, & confirmat Chriſtus, Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex totâ animâ tuâ, ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tuâ, nouæ ſi quidem creaturæ ſublimem, diuinámque vitam decet affectio quauis aliâ fortior, & excellentior, hoc eſt in Deum, charitas, nullis finibus circumſcripta, ſed totam quanta quanta eſt, & quam multis implexa labyrinthis retrusáque conclauibus animam & corpus omnéſque illorum facultates ac vires continenter in opus adhibens. Deum ergo imprimis ex toto corde diligamus, vnũ quærendo, præterea nihil, vnius vbique, ſecluſis aliis, deſiderio incenſi, ac, viuendum

Luc. 10.

uendum , aut moriendum ſit , vtrobique illi æqualiter placendi,ob hoc fortis, vt mors dile-ctio dicta eſt,vt enim morte ſenſus omnes necantur,ita Dei amor,nonnullos ſic poſſidet , vt quicquid ſenſu percipitur , æternis cogitationibus occupati,deſpiciant, ægréque aduertant; cunctas præterea facultates animæ in idem conferunt,nec earum vllam,quod foret ruſticæ inurbanitatis, dilecto occludunt;nullas ei vires & affectus negant,ſpem, metum, gaudia, mœrores,omnia eius nutu ac renutu verſatilia moderando: cúmque infinitæ Dei optimi amabilitati anguſtiæ animi ſint longè impares,quò amplitudini illius vtcumque; reſpondeant , aſſiduis illas deſideriis extendunt , ſed quæ facta, réſque ipſæ ſequantur;præcipuè verò tolerantia patiens malorum, vel ſponte ſuſceptorum , vel præter opinionem immiſſorum: operatur enim magna,ſi amor eſt;ſi verò operari renuit, amor non eſt;propterea Deus mellis quondam ſacrificium repulit,quod totum ex floribus plantarũ, ex fructu nihil habeat , ſed amoris ſummam ſic breui concludit mellifluus Bernardus. *O amor ſanctus,& caſtus,ô dulcis,& ſuauis affectio: ô pura & defæcata intentio voluntatis;eò certè defæcatior, & purior quò in eâ de proprio nihil iam admixtum relinquitur;eò ſuauior & dulcior,quò totum diuinum eſt quod ſentitur : ſic affici,deificari eſt;quo modo ſtilla modica multo infuſa vino deficere à ſe tota videtur,dum & ſaporem vini induit,& colorem;& quomodo ferrum ignitum & candens igni ſimillimum fit,priſtinâ propriáque formâ exutum;& quomodo ſolis luce perfuſus aër in*

S.Greg. in cap.8. Cantic.

S.Greg. in Euãg. hom.30.

Lib. de diligẽdo Deo.

in eamdem transformatur luminis claritatem, adeo vt non tam illuminatus, quàm lumen eſſe videatur. Sed hæc idem tunc fore perfecta affirmat, cùm erit Deus omnia in omnibus, in cœlo videlicet nihílque in homine de homine reſiduum erit, quæ, nos interea, pro tenuitate, ac mortalitatis huiuſce menſurâ, decet cum diuinâ gratiâ æmulari.

3\. Poſtremò, qualibus hunc amorem flammis ardere oporteat, quo ſuos gratia exercet & occupat, ex Theologo paſſim colligitur & colligit piè admodum Iacobus Granatus, nam ratione ſanè probabili cum eo quidam cenſent, incremẽta gratiæ nemini priùs aduenire, quàm illa promeritus fuerit opere aliquo ex totis gratiæ viribus profecto, multis verò debilioribus id ſolum nos conſequi vt fiamus tandẽ ad egregium aliquod idonei poſſeſſæ gratiæ ex æquo reſpõdens; cùm parùm deceat, otioſam tenenti locandarum pecuniarum partem, nouas interim peti, daríve à Domino pecunias; cui ſententiæ ſi accedat illa quam multò ante ponebamus de æqualium operũ meritis, iuxta gratiæ inæqualitatem ex qua naſcuntur, inæqualibus, quis nõ videt, quantopere interſit, vt totos niſus, neruóſque contendamus in exerendo amore ergà Deum ardentiſſimo & perfectiſſimo, ſuíſque numeris abſolutiſſimo, vt parta iam nobis gratia vbertim augeatur, & illâ creſcente, creſcant ſimiliter agendi merita quæ ex illâ poſtmodum ſubſequuntur, in quo cùm nobis res tanta vertatur, vt inde magni, vel augeri lucris, vel iiſdem priuari neceſſe ſit, hominis eſt non planè imprudentis

1\. 2. q. 114. a. 8. q. 24. a. 6 in 2. diſt. 27. q. 1. art. 5. ad 2. Granat. in 2. 2. contr. 3.

imprudentis lucra hæc amandi feruore in tuto ponere, quæ ſi certa hæc foret ſententia, non modò periclitarétur, ſed eſſent omninò peritura. Creſcamus itaque in mille millia, talentum integrum integrè occupemus, nulla ſit in nobis gratiæ, nulla virtutis & vitium ac diligentiæ nõ operoſa particula, vt iure poſſimus ab ſemper diuite, bonóque Domino plura expectare ac petere; ab iuſto ſuorũ vindice donorum & æſtimatore, multam eorũ nõ timere; hinc valde cauendum monet Apoſtolus, ne quis deſit gratiæ Dei, in qua veluti paradiſo non ſumus ad fouendam deſidiam conſtituti, ſed vt operemur, & cuſtodiamus, hoc eſt, collocandâ vtiliter gratiâ illam tueamur, aliàs ab nobis auferendam: & alio loco videndum accuratè, ne in vacuũ gratiam Dei recipiamus; abhorret enim peiùs ab otio gratia, inquit Gerſon, quàm à vacuo natura, hoc vt vitet ſus déque agitur, legéſque ſibi fixas refigit & euertit, otiũ vt vitet gratia, inertẽ animam miſerabiliter relinquit; quis ſe datum ingrato non putat perdidiſſe? Quis periiſſe quod dederat, non dolet? æquum eſt igitur gratũ eſſe qui cupit accepta gratiæ beneficia tueri, & noua iis addere: Ex gratiæ trunco gratia oritur, ex profectibus profectus, & lucra ex lucris, paràntque quærendis meritis quæſita iam locum: quantò enim quis plura adeptus eſt, tantò valentior ſeſe porrigit ad maiora, & quò magis auaras ad cogendos ſapientiæ theſauros contentiones explicuit, hoc in nouos quæſtus inſudat auarior; Nam qui edunt me adhuc eſurient, ſed beatâ omnino ſatietate explebuntur.

Heb. 12.

1. Cor. 15. ſer. de Domin. Euang.

Bern. ſer. de 7. miſer.

Fauſtus inſtit. ad Monach.

CAPVT VI.

De pane fidei, quo iuſtus & gratia aluntur.

1. VT ſupra totius naturæ ordines diuinâ gratiâ ſubuectum nullum magis opus quàm amor diuinus, ſeu charitas decet naturâ omni superior, ſic nullo priùs lumine dirigi quàm ductu fidei Chriſtianæ, quæ vitæ huius noſtræ & ſol & panis eſt; Quamobrem Propheta iuſtum ait ex fide viuere, hoc eſt non humano & doloſo ſenſu, atque ancipiti, ſed veraci luce quam nobis de cœlo corporata veritas prætulit vero intellectus, & vitæ pane, vitæ nimirum quam animat gratia, intellectus, quem fingit Chriſti prudentia, extra quæ quicquid eſt, ſtultum eſt, atque mortiferum. Ad hunc panem renatos S. Dionyſius vocari ab Sapientiâ explicat illuſtri Apoſtolorum præconio; hanc menſam ab ſacerdotibus contemni Deus per Malachiam indignatur; dicentibus, *Menſa Domini deſpecta eſt*, non quod ſacrilegum hoc dictum iis vnquã excidiſſet, vt acutè Sancti Cyrillus, & Hieronymus viderunt, verùm quod factis & moribus ita ſe gererent, vt ſi tám impia de Deo eiúſque ſacrificiis ſentirent: autoritate ſæculi, carnis & dæmonis, congeſtæ opes, voluptatum libidines, dignitatum, & honorum fumi ſe tuentur; Chriſti IESV exemplo, & patrocinio paupertas dura, vita moleſtiis aſpera, & fama & conditio abiecta. Si hæc ſentimus, & illa his oppoſita viuimus,

Abac. 2.

Prou. 9.

mus,nunquid fidei panem,Chriſti menſam deſpicimus, & calce appetimus? Cur tamen de Deo naturâ vno, perſonis trino non addubitamus Chriſti oraculis inſtituti, de felici autem inopiæ, lacrymarum, contemptionis bono, de quo ex eodem æquè certo didicimus, etſi ore tenus fidem illi habemus, at rebus & vitâ pertinaciter negamus? Proh temporum noctem & Ægyptias tenebras! Quot iis hæreſes ſe tegunt? voluntatum dico & operum, aduerſus doctrinā Saluatoris; quot erroris turpitudinem fuco diſſimulant, imò celebrant palam communi ferè non modo aulæ atque fori, ſed ſanctuarij quoque ſuffragiis & adplauſu? vbi enim iam opes non ſuſpiciuntur, non regnant commoda, non coluntur & triumphant honores, dum Chriſtus ignominiam, ærumnas, egeſtatem totâ verbi, vitæque cæleſtis docendo, agendóque eloquentiâ prædicat? O terram ſementi pretioſiſſimæ, & fœcundiſſimæ ingratam, reprobam, & maledicto proximam! ô certè miſeros qui felle draconum, veneno aſpidum, & blandis opinionum cum riſu necantium morſibus ſuſtentari malunt, quàm fidei pane ſaluberrimo, maximéque vitali!

Mirùm quantum diſtet rerum cognitio ſimplex & vulgaris ab eadem per Chriſtianæ fidei obruſſam exploratâ intiméque perſpectâ; nam 2.
in fidei luce tam certò aut veræ, aut falſæ cernuntur, quàm certò Deus, & verax & Deus eſt. Quare præ cæteris luminibus ſæpè fallentibus, certò quidem plerumque imbecillis, accendenda eſt hæc fidei lucerna hominibus gratiam

adeptis, vt perſeuerantiæ gemmam reperiant, ne vulgi opinionibus decepti ponant malum bonum,& bonũ malum; vt dùm ciuitatem armatæ vigiliæ obeunt, ſi quem obuium habent, latentem lucernam in os illi obuertunt, deprehendúntque non raró ebrium nebulonem, qui eſſe vir grauis putabatur, nonnunquam è contrario nobilem & potentem, quem mediaſtinũ ex cultu,& ſolitudine credebant; ſic ait, ſcriptor aſceticus & doctus, vbi mundi ſpecillis vtimur confuſis, & turbidis ad ferendum de rebus iudicium, quid mirum ſi Chriſti paupertatem ſudores, cruciatus pro malis ingentibus horreamus, de voluptatibus parùm ab Epicuro diſſentiamus? At enim ardentem fidei lampadem ad hæc diſcernenda ſi admouebimus, clarè in illa videbimus, quàm ſit afflicti IESV & egeni diues amabiliſque imitatio; Quot præcipitia, dolores, & funeſtos caſus quantámque perniciem, quàm falsâ fronte mundus premat. Pulſaris cupiditate muneris publici, præfecturæ pinguis, honoris eximij, commoditatum, & deliciarum? prome hanc è ſinu memoriæ lucernam, & his eam oppone ſigillatim, vnumquodque ad illam diſtinctè comminue, atque examina, de iis & toto ſæcularis pompæ fauſtitatiſque apparatu perinde cenſebis, vt qui ciuis eſt alterius patriæ, longéque aliis quàm videri ſoleant, oculis hæc tuens, nugas, ſordes, ac deformitates, peſtem, & exitium putabis: Contra vt laruis pueri, terrentur, & eiulant, reductâ laruá ſi puerum ſociũ agnoſcant ſub eâ latuiſſe, rident ſcilicet, ac metum illius abiiciunt, vt quem ſæpe colaphis cæciderunt

Thom. à IESV de viua fide

Seneca ep. 24.

runt,& cum quo ſint ſoliti luſitare,ita virtutum argumentis,atque officiis detrahenda eſt à nobis manu fidei larua quam illis terribilem φιλαυτία noſtra,& dæmon circumponunt,eiuſdémque fidei applicita luce introſpectandum eſt laruæ illius terriculo formoſitatem innoxiam,inſontes delicias, ſuauitatem meram nobis occultari,& ſupprimi.

Quamdiu hanc rebus honeſtis laruam, turpem,turpibus honeſtam, & iucundam non detrahimus,perpetuum ſomnium vigiles ſomniamus,nam vt in ſomnis falſæ proſperorum, vel aduerſorum imagines rationis cenſurâ ſolutæ pro veris oberrant, & tanquam veræ animum perturbant, aut recreant; ſic luce fidei ſopitâ, nec imaginationis noſtræ ſimulacra ſuis radiis caſtigante in perpetuo errore agimus,expergefacti verò,& imaginibus his noſtris ad nihilum redactis nihil inuenimus in manibus noſtris, totúſque felicitatis adamatæ,adoratæque ſapor, ſtrepitus ac ſplendor, tam amœna & dulcis in auras expirat ſuperbi deſiderij, lætique incantamenti poſſeſſio. Ex quibus profectò confirmatur amplificandi causâ:nihil eos dicere, qui peccantes affirmant,emoto eſſe iudicio, turbulentíſque tum corporis,tum animi motibus, & affectionibus vitiato, quod ſicut ex dictis, factíſque tranſuerſis ægrotorum, medici deprehendunt, ſic licet in iis qui Deum offendunt adnotare, Quo argumento Hippocrati probaſſe olim narratur Democritus mortales omnes omninò ægrotare; creat enim hunc morbum maligna oculi palatíque interioris ſuffuſio,quæ 3.

Digitized by Google

nihil ad eorum tranſmittit iudicium, niſi ſuâ infectum ſanie ac tabo: cryſtallus oculi, ſanguine obſeſſa, rubrum iurat quicquid obieceris; bile nigrâ aut flauâ laborans nigrum, aut croceum; album pituitâ; aquam lingua prioris dulcem, alterius acidam, tertij amaram, quarti demum pronunciat ſalſam; auarus theſaurum; voluptatem inceſtus; ambitioſus purpuram Deum dicit, & ſuiipſius victimâ illum colit. Addit his Dæmon pictor vaferrimus figuris tam viuos colores, vt licet verorum quæ ſomniantur bonorum vmbram vix referant, ſpirare tamen videantur ac viuere, ſic in imagine pertranſit homo, ſic mundi huius figura præterit, ſic faſcinatio nugacitatis obſcurat bona: hinc omnis homo mendax, hinc mendaces vocantur filij hominum in ſtateris, quod cæleſtia omnia & æterna, præ voluptatulæ vnius, honoríſque puncto ſint apud eos leuiſſima. Cur autem miſeri argentum appenditis, & non in panibus, laborem veſtrum & non in ſaturitate? rebus pretium fides ponit, rerum pondus ſine fuco, ac dolo indicat, ſplendorem diiudicat, conditiones luce palam euoluit, ſomnia diſcutit, ſoluit faſcinos, & incantamenta, retegit laruata, ceruſſam, & minium abſtergit, animi aciem variè ſuffuſam, confuſam, cæcutientem, breuem, ſyncerae reddit perſpicacitati; ad hanc confugite, hanc adhibetote, huius collyrio, ac ſalubri felle oculos vngite; hæc ô vera mundi lux, & primigenia de verâ luce Deus meus illumina oculos meos, ne vnquã obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus, præualui aduerſus eũ.

CAPVT

CAPVT VII.

Quantâ curâ vitari peccata venialia debeant, vt diuina gratia conſeruetur.

PRæter charitatis ac fidei lucernas, quibus ardent, ac lucent piorum ſeruorum manus peruigiles, magnus præterea ex iis morũ nitor, vitæque integritas poſcitur, ne quà ſaltem prudenti labeculâ pulchritudinem gratiæ obſcurent; qui enim Deum ex animo diligunt, hos ait Caſſianus exili etiam amoris eius offenſiunculâ conſternari, & pietate attonitâ ſeipſos vbique obſeruare ne charitatis feruor intepeſcat; vnde illa quibus adumbrantur animalia quatuor intus ac foris tota oculea nec minùs in minimis & extremis, quàm in præcipuis ſui partibus acutè cernentia, incredibilem vbique in anteuertendo, declinandóque noxarum leuium puluere vigilantiam ac ſollicitudinem demonſtrant, nihil enim pupilla terſius, cautius, quarumuis ſordium impatientius, & iure omninò, nam ſi tantoperè Deo diſplicuit in amiciſſimo, & familiariſſimo ſuo Moſe vacillatio fermè indeprehenſa, & oculum fugiens, vt placari illi noluerit, cuius precibus peccanti populo placabatur, quantùm diſplicebunt ſupinæ ceſpitationes aut næui ſpontanei, tametſi tenues? Ad hæc vbi ſemel his patuit in mentem aditus, peccator adiicit ad peccandum, & negligentia neglectim admiſſa, gradus eſt ad vlteriorem

1. — Coll. 11. c. 13. — Saluian. l. 3. de prouid. — Eccl. 3.

vlteriorem. Si quis enim cuipiã, vt ſcribit Fauſtus Monachus obloqui cœperit, nec indoluerit huic ſuo errori, die inſequenti, eâ in eundem facilitate, impetu, imo libidine rapietur, vt ſibi nequeat ab eo temperare, faciétque tandem perturbatio vehemens, vt ne ſentiat quidem ſe errare, conſuetudine inolitâ mentis aciem fuſcante, ac peccati ſenſu peccandi continuitate ſtupefacto. Quare putat S. Gregorius Nyſſenus Deum ab Hebræis primogenita poſtulaſſe, & domorum fores conſecrari agni ſanguine voluiſſe; hoc eſt primos illi motus animi dicari, quibuſuis autem Deo minùs acceptis aditum obſtrui; nec fugit Senecam, obliquos affectus vires eundo acquirere, & prohiberi acceſſu faciliùs, quàm admiſſos extrudi: Certè vti qui ſpernit minima paulatim decidit, ſic rarò ad grauia deuenitur, quamdiu leuibus tanquam grauioribus obſiſtitur: alioqui contingit ſæpius vt lethiferas plagas perſtrictæ cutis opinione vltroneâ homines ſibi diſſimulent, ipséque Adamus in illo ſui ingenij lucidiſſimo ſole, eſum vetiti fructus ſuaſiſſe ſibi
14. de ciuit. c. 11. venialem, tradit B. Auguſtinus, ſed præter hanc lucem crebritatis magno vix poſteà reniſu, pugnáque inhibendam, vbi tenuibus his venenis vel muſcæ ſtimulus venam aperuit, accedit periculum capitalium malorum, ac prorſus lethalium, quibus noxæ leues viam præmuniunt, ac niſi radicem fibris his hærentem ſubtilibus extirparis, ſcito, inquit, S. Chyſoſtomus in peccatum grande ſurrecturam, nam affectio primum ſimplex, & frigida incaleſcit transítque mox in perturbationem

perturbationem; perturbatio inuerecunda eſt, nec intra lineas coërcetur ſic iam itur quâ lubet, nec quid expediat, deceat, liceat, ſpectatur: Fuit hic Saülis interitus, quod ſe diuino quem exceperat ſpiritui non planè permiſit, nec eſt penitus in virum alterum mutatus, ſed de veteri fomite, ac fermento nonnihil retinuit; hinc tota illi ruinæ labes, & deſperatæ mortis infeliciſſimus exitus; aſſueta voluntas in minimis Dei reuerentiâ non teneri, nec in maioribus retinetur, & vitæ officiis ab eo poſitas perfectæ mediocritatis ſolitas metas tranſilire, vt primùm res ferat, exibit longiùs nec ſe ab impetu conſuetudinis reprimet. S. Tho. 1.2.q.88 art. 3.

2. Itaque monet valdè ſapienter Caietanus, contritione frequenti vrendas has eſſe errorum fibras, quamuis pertenues, neque obiter ſolùm & quaſi vnum in faſcem collectas, ſed partitè ſeorſim ſingulas, ne quando in toxicum radix aliqua degeneret, & animum ſenſim ad crimen proximè comparatum nacta tentatio illum euertat, & perimat. Satis verò mirari non poteſt venerabilis Pater Ioannes de Auila noſtrum in his deflendis peccatis minutioribus teporem, in ſentiendis duritiem, ſegnitiem in expugnandis poſt tot Sanctorum tàm clarè exempla inconſolabilibus lacrymis non has modo titubationes miſeratione dignas, & veniâ; ſed primas in malum commotiones animi inuitas amarè lugentium, & odientium hanc vitam eiuſmodi caſibus, periculiſque ſubiacentem; nos ſalute animi contenti videre noluimus è ſanabilium neglectu eius vt plurimum lethales plagas &

Digitized by Google

perniciem conſequi; retexe, ſis, miſer lapſuum tuorum ſeriem, conſule conſcientiam tranſacti temporis, videbis eodẽ quo antehac te iumento vehi effreni, rebelli, indomito; ac ſi graminis pilum virere proſpexerit, rapto frœno è regiâ viâ te in crepidines & præcipitia culpæ mortiferæ acturo. Quis volitantibus pyratis, incuſtodita littorum interiori præfert continenti? Quis hoſte barbaro impreſſionem moliente, pro vrbe intimá domũ eligit ſuburbanam? In penetralibus virtutis cum Rege Chriſto ſedem nobis legamus, ſi nolumus incurſionibus hoſtium patere, quas nec Dauid, nec Petrus, nec illi in eremo lapſi deuitarunt, qui Chriſtum paulò iniquiore paſſu, & longè ſubſecuti, ne vitã quidem, cuius retinendæ putabant ſibi curam ſufficere, ſeruarunt; peccati fomitem, cauſas, alimenta & irritamenta intra nos gerimus; his fauet multa maiórque infirmitas, quàm poſſit ab arrogantiâ noſtrâ intelligi, vt quid tàm prono in ruinam parieti pondus adiicimus venialium peccatorũ, quibus inuerecũdus animus, diuiníque amoris neglector fiat diuinæ opis ad reſiſtendũ egẽtior auctáque imbecillitate ad pereundũ habilior?

3. Atque hinc liquidò apparet quanto iure illos S. Bernardus reprehendat, qui venialium culparum exilitatem eleuant parum dignam labore, curáque ſtrenuæ emendationis; leue eſt, minimum eſt, nihil eſt: Quam vocem *impœnitentiæ, & blaſphemiæ* accuſat, & verò credi malum tenue id poteſt, quod infinitum Deum ac Dominum offendit? leue, quod immenſa bonitas execratur? nihili, quod mentem ſempiterno parat exitio,

Serm. de conuerſ. S. Pauli.

exitio,quod eius pulchritudinem , robur,diuitias,bonum habitum,ſalutem, merita , præmia paulatim exſugit,& peſſumdat, facitque ream haud quidem perpetui,ſed tamẽ horrendi ſupplicij? Quamobrem prudentiſſimè S. Ephrem, In ſerm. aſcet.
minimis ex rebus perturbationes in animo naſci graues,ac niſi reuellantur, in immensã quãdam diuinarũ rerum , adeóque ſalutis contemptionem erumpere. Audiamus igitur S. Chryſoſtomum validè nos hortantem,vt Deo iuncti, & coagmentati(quod mandatorum eius obſeruantiâ obtinemus) ne tantillùm quidem ab eo ſeiungamur,ab trunco caput.fundamentum ab ædificio,ab vite palmites,ne tenui quidem poſſunt ſpiraculo diuidi abſque interitu,& ruina, vt leue nobis cenſeri nõ debeat hoc qualecunque quod noſtra ſocordia,& vſus conſuetudine tepidorum,& negligentiâ diuturnâ fictis minimum & nihilum appellat , quaſi eſſe id leue poſſit,quod amantiſſimo noſtri Deo & cupidiſſiſmo, eiuſmodi tamen nauſeam creat , vt eum ad noſtri reiectionem cogat.

Hom. 8, in epiſt. ad Cor 1.

Apoc. 3.

CAPVT VIII.

Quibus indiciis deprehendere poſſimus,nos eſſe diuinæ gratiæ poſſeſſores, & mortem cum illâ obituros.

EA quidem eſt gratiæ maieſtas & pretium, 1.
vt ſi repetito quotidie ſæpius oſſium attritu, diráque carnium laceratione,emenda ſit & cuſtodienda

ſtodienda, paruo ramen empta videri debeat, ſed Deo laus eiuſque miſericordiæ qui rem tantam, tam parabilem nobis expoſuit, adeóque
2.Petr.1. ſeruando facilem. *Satagite*, inquit, *Apoſtolus vt per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis, hæc enim facientes non peccabitis aliquando.* O dulcedinem conſolationis! in noſtrâ manu atque arbitrio ſita eſt felicitatis tantæ regníque ſeruitus. Hoc perſeuerante ac ſedulo ſanctorum operum ſtudio, præter animi ſerena gaudia; quæ neceſſariò ſecum vehit di-
Suar.l.9. de gratia c.11. uinæ gratiæ certa poſſeſſio (quo modo poteſt quamdiu in corpore degimus, certa eſſe, humano videlicet nec argumentis veroſimilibus in oppoſitum nutante) hac, inquam, rectè piéque agendi conſtantiâ primùm omnis labes mortifera arcetur longiùs, ac ne ſinitur quidem propiore acceſſu mentem afficere: Deinde creſcunt in magnum cumulum merita repoſiti nobis in cœlo præmij, ſic enim addit S. Petrus, *abundanter miniſtrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini noſtri & Saluatoris IESV CHRISTI.* Quo tanti magiſtri oraculo Patres didicere quibus indiciis poſſemus de obtenta
Serm 8. de Epiph l.1. Dial. Serm.2. de reſurr gratiæ poſſeſſione confidere. Quæ cum multa paſſim ab Sanctis, Leone, Gregorio, Bernardo numerentur, triplici capite; videtur ſcitè illa collegiſſe doctor egregius Alexander Halenſis in illa Pſalmi verba, *Quis oſtendit nobis bona*, gratiæ nimirum, quæ vera, & vnica bona ſunt. Imprimis enim *ſignatum eſt ſuper nos lumen vultus tui.* Hoc eſt, cùm liberi conſcientiâ noxæ capitalis, in fidei luce, caduca omnia, nóſque

adeo

Digitized by Google

adeo deſpicimus, æterna ſuſpicimus, contemplamur,ambimus; Exin,*dediſti lætitiam in corde meo,*cum ſolo gaudemus & lætamur Deo,rebúſque ad eius gloriam ſuſceptis; Tertiò,*in pace in idipſum dormiam & requieſcam,* inter inimica ſcilicet, & aduerſa, nullo cuiuſquam niſi peccati odio,& pridem concepto,eóque implacabili,nec vnquam vel breui morulâ inter pungendo, hunc ponit triplicem gratiæ characterẽ dictus Theologus, quorum vno,rationalis; appetens altero;tertio, iraſcẽs facultas perficitur. Si ergo defixis in Deum affectibus multos iam annos in propoſito perſtas eius nunquam grauiùs lædendi,ſi precationi,virtutum ſtudiis, cõfeſſioni ſacræ & communioni aſſiduè iuxtà & accuratè vacas,poteſt ſanè his notis,inquit Pater Suarez,poſſeſſæ gratiæ certa opinio non parùm creſcere. Sed quis hic obſtrepit, & iactam aleam diuinæ deſtinationis improbitati ſuæ impius prætexit? Legimus Monachum de ſuâ cœlitùs ab ſocio compertâ damnatione factũ certiorem,ſocio reſpondiſſe,non deſperaturũ proptereà,imò de cætero in ſui diuexatione futurũ duplo ac triplo,quàm conſueuiſſet acriorem,donec à patre piiſſimo miſericordiam & gratiam exoraſſet. Inde aliquot poſt diebus ab eodem ſocio accepit veriùs de ſuâ æternâ ſalute nuncium ſibi diuinitùs indicatum: Longè aliter Langrauius Ludouicus, cuius viuendi licentia cùm monita eluderet omnia,obiectâ ſuæ aut damnationis,aut ſalutis in æterno foro, ab immutabili iudice dictâ ſententiâ; à prudenti medico eſt ſanatus;eiuſdem inſulſitate argumenti,

 curatio

curationem illius ſuperuacaneam abnuente.
Valent. 1.p.q.23 diſp.1. pun. 4. Vidit enim, quanquam obcæcatus, ſi ſumus ad præmia deſignati, peruidiſſe Deum ante initia temporum nos laudabiliter victuros; at ſi dignã iis vitam non ducimus, ſed laxamus vitiis habenas, indicio id eſſe non fuiſſe nos ad cœlum deſtinatos; nihil quidem clariùs & exploratiùs, quàm ſaluos fore quos extra culpam lethalem mors occupat, eſſe verò nobis Dei præſidio integrum, ab eâ culpâ ſemper abſtinere, vitámque inſontem morte non diſpari claudere, quod eſt profectò prædeſtinatum eſſe.

2. An verò reipſâ id ſumus præſtituri, & in Dei gratiâ è viuis abituri, quis, quibus nobis veſtigiis & ſignificatione manifeſtet? Franciſci ſanctiſſimi, paucorum prætereà eſt hic fauor, vt diuino reſponſo de futurâ ſuâ ſalute diſcerent, eóque nuncio jam inde in terris cœlitum gaudia extra ſe poſiti prægustarent, reliquis tamen non deſunt alia quanquam fidei non indubitatæ, ſed magnæ hilaríſque fiduciæ, ſeu reſponſa, ſiue indicia, inter quæ primum eſt, ardens & ad diuini cultus propagationem magnis deſideriis anhelans fides; alterum eſt obſeruantia mandatorum conſtans; Tertium, patientia rebus duris moleſtiíſque exercita: Quartum in egentes, & inopes miſericordia: Quintum voluntaria paupertas; Sextum humilitas, ſeu contemptus quẽ
Ser.2. de Aſcenſ. ex hac fiduciâ S. Bernardus ſuis inculcabat; Septimum Dei & proximi charitas: Octauum confeſſionis, & ſacræ menſæ meditata, diligénſque frequentia; Nonum Verbi Dei auditus procliuis & ſapidus; Decimum priuatæ volun-

tatis

Digitized by Google

tatis cum diuinâ vbique conſenſio: Vndecimum eſto, ſublime quidpiam, ſummèque heroicum ad Dei gloriam, Dei amore geſtum; quale ſit ſacrificium Abrahami; Apoſtolorum velox relictis omnibus, obedientia; Poſtremum & duodecimum peculiaris Beatiſſimæ Dei Matris obſeruatio & amor; Quorum ſi qua forte nobis deeſſe, aut adeſſe parcius ſentiemus, tanto nobis ad ea obtinenda ſtudio opus eſt, quantum eſt quod iis obtinetur, ſalutis negotium.

Anſelm. c. 4. de excell. Virg.

3\. Supereſt denique ſibi quiſque noſtrûm dictum exiſtimet. *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam*, vt timore ſancto intra Chriſtiani officij limites cogatur, fugiunt omnia, effluúntque nobis de manibus, vnum eſt quod ſolum non falsò dicitur teneri, fides & gratia; nō eget bonis noſtris Deus qui ſibi ſufficit, noſtra quæ illi deferimus nobis proficiunt, & in nos redeunt obſequia; iis ſi deſimus, accerſet alios in partem ſalutis à qua exciderimus; deſertoribus Angelis homines; Hebræis Gentes; Dauid Saüli; Iudæ Latro conuerſus; Auguſtinus Pelagio; Tertulliano Cyprianus; Hieronymus Ruffino; Septētrioni Indiæ; alij aliis ſuffecti, & ſuorum ſummam quam certo numero definiuit Deus, cadentibus aliis per alios ſupplet; formoſiſſimam Nabuchodonoſoris arborem, & cedros Libani nō requirit, qui ſibi olim in humili rubo ſedem legit. Quid ſimus nunc fortaſſis agnoſcimus, quid autem futuri paulò poſt, ignoramus: poſſunt quos vt humi ſtratos deſpicimus repentè ſurgere, noſtrúmque feruidæ virtutis curſum præuertere. Timendum ergo

Apoc. 3.

Richard à S Vict. in 3. Apoc.

Lib 2. de erud. int. hom. c. 13.

Greg. l. 25. mor.

potiùs

potiùs nobis eſt Dei donis, quàm iis gloriandum, ne manum à nobis reuocet qui ſuperbis reſiſtit, & ſuo nudatos auxilio hoſtiũ faucibus relinquat expoſitos; potiſſimum verò ab eius offenſâ longiſſimè abhorrendum: poſuit enim patientia diuina peccatis tuis metas, eorúmque numerum menſura clauſit, quam ſi attigeris periiſti; nec iam opportunos ad eius miſericordiam aditus nec ad lentandam patientiam tempus reperturus. Caue caue, quod perperam cogitas, ne ſit poſtremum illud, in quod decretoria vindicta ab eo ſtatuta eſt; ne ſomnies eâdem operâ cum perpetratis iam eluendam noxis quam modo admittis; nam ſi vltima eſt, quam patientiſſimæ bonitati iuſta æquitas præfixit, fruſtrà eris, nec miſericordiæ locum inuenies. Teneamus igitur quod habemus, ne alius accipiat coronam noſtram, ne diues paupertas, pretioſáque noſtri vexatio, dum alios beat, nobis tormento ſit, ne dum datur tenenti & habenti, ab eo qui non tenet, quod tenere videtur auferatur, ne ſuæ gratiæ ſapientiſſimus, & cariſſimus æſtimator, de profanis illam, aut ignauis manibus direptam tradat negotiaturis vtiliùs, & repræſentaturis eam compendio opulentiore.

S.Tho. 1.p.q.23 a.6.ad 1.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google